2. G. capillaris (*Huds.*) AS. 65. — 2 o, 3.
c. *Ceramieae. I. Ag.* Confervae *L. Auctt. Vet.*
XLIX. Ptilota. *Ag.* Fucus. L.
1. P. plumosa. (*L.*) — pectinata. (*Gunn.*) — 1—3, 5.
L. Ceramium *Lngb.* (Primitiv. est Polysiphon.!)
1. C. ciliatum. (*Ellis.*) — 5.
2. C. acanthonotum. *Carm.* — 5.
3. C. rubrum. (*Huds.*) AS. 55. — secundatum. *Lngb.* — 1—3.
*4. C. diaphanum. (*Lightf.*) Cfr. Arsch! 1—3, 5.
5. C. tenuissimum. *Arsch.* 1, 2 o.
LI. Griffithsia. *Ag.*
1. G. corallina. (*L.*) — 2 o, 3.
LII. Callithamnium. *Lngb.*
1. C. arbuscula. *Lngb.* Ins. Färrö.
2. C. Hookeri. *Dillw.* 2. o.
— pyramidatum. *Liebm.* — fruticulosum. *I. Ag.*
3. C. polyspermum *Ag.* C. roseum. *Lngb.* 1. 2. o, 5.
4. C. seirospermum. *Griff.* — 2 o, 3.
5. C. Byssoides. *Arnott.* — 2 o.
6. C. corymbosum. (*E. B.*) C. versicolor. *Bot. Scand.* — 1—3.
7. C. Plumula. (*Ell.*) C. floccosum. *Ag. Sp.* AS. 29. — 2 o, 3.
8 C. cruciatum. *Ag.* — 2 o.
(C. fruticulosum *Lngb.* dubia sp., C. lepadicola *v. Suhr.* mihi ignota. *C. thuyoides* et *tetragonum* ad oras Scand. vix umquam lecta, ex Aresch.)
LIII. Spermothamnion. *Arsch.* Callith. sp. *Auctt.*
1. S. Turneri. (*Mart.*) C. roseolum. *Ag.* AS. 30 — 1—3.
— repens. (*Dillw.*)
LIV. Trentepohlia. *Arsch.* non Mart. Callitham. *Auctt.*
1. T. Rothii. (*Turton.*) Callit. floridulum. *Lngb.* AS. 8. — 1-3.
2. T. Daviesii. (*Dillw.*) C. secundatum. *Ag.* — 1—3.
— pubes. *Ag* — lanuginosa *Dillw. Lngb.* AS. 74 — 1—4.
T. pulchella. *Ag.* videatur s. Chantransia. Decand.

Fam. CX. *Ulvaceae. Fl. Scan.*

(De generum et specierum limitatione fere omnia, et circa dispositionem gravissimae observationes debentur Cel. *I. Areschoug.*)

Ser. I. HEMICARPIDEAE. a. *Lemanieae.*

I. Lemania. *Bory.* Nodularia Lngb.
1. L. fluviatilis. *L.* sub Conferv. — subtilis. Ag. — 1—4.

b. *Ectocarpeae.*

II. Cladostephus. *Ag.* Dasytrichia. *Lmr.* Conf. *Lightf.*
1. C. verticillatus. (*Lightf.*) C. myriophyll. *Ag.* — 1, 2 o.
2. C. spongiosus. (*Lightf.*) AS. 7. — 2 o, 3, 5.

III. Sphacelaria. *Lyngb.* Conferva *L.* et *Auctt.*
1. S. plumosa. *Lyngb.* Ceram. pennat. *Whlnb.* — 1—3, 5.
2. S. scoparia. (*L.*) — disticha. (*Lngb.*) — 3.
3. S. cirrhosa. (*Roth.*) AS. 33. — 1—3, 5.
— reticulata (*Fl. D.*) — caespitula. (*Lngb.*)
*4. S. spinulosa. (*Lngb.*) — 1, 3.
*5. S. scoparioides. *Lngb.* — 1, 3.
6. S. olivacea. (*E. B.*) — 2 o.

IV. Ectocarpus. *Lyngb.* Conferva *L.* et *Auctt.*
1. E. brachiatus. *Ag.* — 2.
2. E. tomentosus. (*Lightf.*) AS. 76. — 1—3.
3. E. compactus. (*Roth.*) — 2.
4. E. ferrugineus *Lngb.* — 2 o, 3.
5. E. litoralis. (*L.*) ✂ E. siliculosus. *Auctt.* — 1—6.
6. E. fasciculatus. *Griff.* (Arsch.)

V. Chantransia. *Dec.* pr. p. Trentepohl. sp. *Ag.*
1. C. pulchella. *Ag.* — chalybaea. *Roth.* — 1—4.
2. C. aeruginosa. *Ag.* — "Suecia" Ag.
(Quid C. ferruginea. *Lngb.?* — "Fârrö.")

c. *Batrachospermeae.*

Thorea. *Bory.*
(*T. ramosissima* B=Lehmanni *Lngb.* ex error. D.)

VI. Batrachospermum. *Roth.* (Ad Fucac. Cryptoc. *Arsch.*)
1. B. vagum. *Ag.* c. varr. — 1—5.
2. B. durum. *Ag.* — "Dania." (Liebm.)
3. B. moniliforme. *Ag.* c. varr. — 1—5.

VII. Chaetophora (*Schrank.*) *Ag.* Rivular. *Roth.*
1. C. endiviaefolia. (*Roth.*) — 1, 2. P.
— elongata *Roth. Lngb.* — clavata. (*Fl. Dan.*)
2. C. elegans. (*Roth.*) — pisiformis. (*Roth.*) — 1—5.
3. C. aeruginosa. *Ag.* — 4. (Löfsta, Uplandiae.)
(*C. adnata* L. sec. Arsch. e genere excludenda.)

VIII. Bulbochaete. *Ag.* Conferv. *Roth.*
1. B. setigera. (*Roth.*) AS. 73. — 1—4.

Ser. II. SYNGONIMICAE.

a. *Ulveae.*

IX. Porphyra. *Ag.* Ulvae spec. *Auctt.*

1. P. laciniata. *Ag.* AS. 36. — 1—3. 5.
2. P. vulgaris. *Ag.* U. purpurea. *Roth* — 1, 3.
3. P. linearis. *Grev.* U. purp. elong *Lyngb.* — 1, 2 o, 3.
4. P. miniata. (*Lngb.*) — 3.
5. P. coccinea. *I. Ag.* — 2 o.

X. Ulva. *L.*

1. U. Linza. *L.* — 1, 3. 5.
2. U. stipitata. *Arsch.* (U. rigida. *Smrf.?*) — 2 o, (3.)
3. U. Lactuca. *L.* — 1 —3, 5.
4. U. latissima. *L.* — 1—3, 5.
5. U. Blyttii. *Arsch.* — 5. (Finmark.)
6. U.? fluviatilis. *Smrf.* — 3.

*Prasiola. *Ag.*

7. U. crispa. *Lightf.* AS. 72. U. terrestris. *Roth.* — 1—3, 5. P.
8. U. furfuracea. *Fl. Dan.* — AS. 73. — 1, 2.

XI. Tetraspora. *Ag.* Ulvae spec. *Auctt.* Gastrid. *Lngb.*

1. T. bullosa (*Roth.*) Ulva. *Ag.* — 1, 2 (Scania), 4 (Upland.)
2. T. lubrica. (*Roth.*) — 1, 2, 4.
3. T. crassa. *Liebm.* — 1.
4. T. gelatinosa. (*Vauch.*) — 1.
5. T. didyma. *Liebm.* — 1.
6. T. cylindrica. *Whlnb.* — 1—3.

XII. Enteromorpha. *Lk.* Ulvae *sp.* L. Scytosiph. *Lngb.*

1. E. intestinalis. (*L.*) c. varr. Solenia *Ag.* ut sqq. AS. 11. - 1-6.
2. E. compressa. (*L.*) AS. 33. — 1—3. 5.
*3. E. erecta (*Lngb.*) — 2, 3.
4. E. chlatrata (*Roth.*) sub Conferv. AS. 12. — 1—3, 5.
5. E. percursa. *Ag.* — 1—3.
6. E. velutina. (*Lngb.*) Bangia. *Ag.* — 5. (Salten) Färrö.

XIII. Bangia. *Lngb.*

1. B. atropurpurea. (*Dillw.*) — 1 o, 3.
2. B. crispa. *Lngb.* — 2, 3.
3. B. Laminariae. *Lngb.* — Färrö

b. *Vaucherieae.*

XIV. Bryopsis. *Lmrx.*

1. B. plumosa. *Huds.* B. Lyngbyei. *Fl. Dan.* — 1, 2 – Färrö
— hypnoides. *Lmrx.*

XV. Vaucheria. *Vauch.* s. Ectosperma. Conferv. *L.*

1. V. marina. *Lngb.* — Färrö.
2. V. litorea. *Ag.* — V. clavata. *Lngb.* — 1, 2. P.
3. V. amphibia. (*L.*) *V. caespitosa Vauch. — 1—6.
— racemosa. V. — sessilis. V.
— geminata. V. — Dillwyni. A.

*V. hamata. V. — ornithocephala. *Ag.*
— ovata. V. — terrestris. V.
4. V. dichotoma. (*L.*) — 1—3, 5.
— submarina. *Lngb.* — sericea. *Lngb.*
5. V. pusilla. *Lngb.* — Färrö.
XVI. Valonia. *Ag.*
1. V. ovalis. *Lngb.* sub Gastridio. — 2 o, 3, Färrö.
XVII. Hydrogastrum *Desv.* Ulva. *L.* Vauch. Ag.
1 H. granulatum. (*L.*) Ulva radicat. *Retz.* — 1, 2.
C. *Undineae.*
XVIII. Hydrurus *Ag.* Palmella. *Lngb.* (ad Ulveas Arsch.)
1. H. penicillatus *Ag.* Batrachosp. Myosurus. *Dc.* *Whlnb.* — 3, 5.
XIX. Palmella. *Lngb.*
(Genus heterogeniis infestum, tum Zoogeneis, quam mycetoideis v. c. *P. aurantia* = Dacrym. stillatus, hinc ab Arsch. prorsus omissum — at quaedam sp. insigniores hoc loco notandae :)
1. P. montana. *Lightf.* sub Ulva. P. alpicola. *Lngb.* — Färrö.
2. P. adnata. *Lngb.* — Färrö. — obscura. *Smrf.* — 5.
3. P. rupestris. *Lngb.* — 3, 5. Färrö.
4. P. globosa. *Ag.* — 2 (Femsjö), 4. — (Cfr. P. gigantea *Smrf.*)
5. P. hyalina. *Lyngb.* — 3, Färrö.
6. P. viridissima. *Smrf.* — 5.
7. P.? cruenta *Ag.* — 1—2.
(Diu observatam in aliam stirpem abire non vidi.)
XX. Undina. *Fr. S. O. V. Fl. Scan.* Hydrococcus. *Lnk.* (Nostocis sp. *Auctt.* Cfr. p. 114. omnesque terrestres ad Collemac.)
1. U. pruniformis. (*L.* sub Ulva) — 1, 2, 4, P.
2. U. sphaerica. (Vauch. s. Nostoc) — 1, 2, 5.
3. U. Lemaniae. *Ag.*
4. U. verrucosa (*L.* sub Tremella) — 2, 4.
5. U. spongiaeformis. *Ag.* — 2 (Scan.)
6. U. coerulea. *Lngb.* — 1—3.
XXI. Rivularia. *Roth.* Tremellae sp. *L.* Linkia *Lngb.*
1. R. nitida. *Ag.* — 1 4.
2. R. natans. *Hedw.* R. angulosa. *Roth.* — 1—6.
3. R. hemisphaerica. (*L.*) AS. 47. R. atra *Roth.*
4. R. Pisum. *Ag.* — 1—5.
5. R. pellucida. *Ag.* — 2 sec. Ag.
Ser. III. SEIROGONIMICAE. a. *Conferveae.*
XXII. Draparnaldia. *Bory.* Conferva. *Auctt.*
1. D glomerata. *Ag.* — C. mutabilis. *Dillw.* 1—5.
2. D. plumosa. *Ag.* — 1—6.
XXIV. Conferva. L.
Genus ob limites deficientes a Byssaceis (*Chroolepide*), ne-

matibus Filicum et Muscorum (*Protonematibus*), myceliis Fungorum (*Myconematib.*, *Leptomitis* pl., *Conf. denigrata* et *barbata Smrf. Hygrocrocia*, *Syncollesia*, *Byssocladio*, c. s. p.) optime in Ag. Syst. segregatis, difficillimum. In plura genera strictius limitata hinc dissolvere plures (*Vaucher*, *Decandolle*, *Gaillon*, *Bory*, nos in Fl. Sc.) moliti sumus, at cum limites perspicuos nondum ponere licuerit, h. l. integrum servo sec. *Ag. Syst.* exclusis modo *Hormisciis* et *Elachistis* Fl. Scan. —

a. Genuinae **Ramosae*. α. Stirps *C. aegragropilae.*

1. C. aegragropila. L. — 1—4.
2. C. globosa. *Ag* — 2. (Scaniae litor.)
— — β. Stirps *B. arctae.*
3. C. arcta. *Dillw.* — 1—3.
— Vaucheriaeformis. *Auctt.* — centralis. *Lngb.*
4. C. uncialis. *Lyngb.* AS. 77. — 1—3, 5.
— congregata *Ag.* — lanosa. *Auctt.*
— — γ. Stirps *C. rupestris.*
5. C. Hutchinsiae. *Dillw.* — 1 (Litt. Seland.)
6. C. diffusa. *Roth.* — 2 o.
7. C. rupestris. *L.* AS. 18. — 1—6.
8. C. flexuosa. *Fl. Dan.* — 1, 2 o.
9. C. Bruzelii. *Ag.* — 2 o.
10. C. sertularina *Ag.* — 2 o.
δ. Stirps *C. glomeratae.*
11. C. nigricans *Roth. Lngb.* C. aspera. *Ag.* Var. sq.? *Arsch.* - 1.
12. C. glomerata. L. c. varr. — 1—6.
13. C. crispata *Roth.* — subsimplex. *Ag.* — 1, 2, 4. P.
14. C. elongata. *Ag.* — 2.
15. C. sericea. *Huds.* C. ser. marina. *Lngb.* — 1—6.
— flavescens (*Lngb.*) — crystallina. (*Lngb.*)
16. C. refracta. *Ag.* C. fracta marina. *Lngb.* — 1—3.
17. C. fracta. *Dillw.* AS. 44. — marina. *Roth.* — 1—4. P.
18. C. patens. *Ag.* — 2. P. — prolifera A. C. flexuos. (*Dillw.*)
19. C. gracilis. *Griff.* C vadorum AS. 19, 78. — 2 o.
*20. C. riparia. *Dillw.* C. obtusangul. *Lyngb.* Var. n. 38! *Arsch.* 1—3, 5.
21. C. fodinarum. *Ag.* Affinitas incerta. — 4.
***Simplices*. a. Stirps *C. Lini.* Chloronitum. *Gaill.*
22. C. melagonium. *Web. Mohr.* — 1—3.
23. C. aerea. *Dillw.* — 1—3.
24. C. crassa. *Ag.* — 1.
25. C. Linum. *Fl. Dan.* AS. 13. — rigida. (Ag.)
26. C. ulothrix. *Lngb.* — 1—3.
β. Stirps *C. capillaris.* Prolifera. *Vauch.* Tisesias. *Bory.*
27. C. cannabina. *Arsch.* AS. 14. — 2 o.
28. C. rivularis. *L.* AS. 79. — 1—6.

29. C. capillaris. L. AS. 43. — 1—6.
30. C. fugacissima. *Roth. Ag.* — 2 Agardh. 3. Smrf.
31. C. bombycina *Ag.* AS. 17. — punctalis. *Lngb.* — 1—3.
32. C. floccosa. *Ag.* AS. 40. — 1—5.
33. C. oscillatorioides. *Ag.* — 1, 2.
34. C. compacta. *Roth Lngb.* — 1, 4, 5. P.
35. C. mucosa. *Dillw ? Lngb.* — 1, 5.
36. C. vesicata. (*Vauch.*) — tumidula. (Ag.) — 1—4, P.
37. C. fontinalis. *L.* — 2, 4.
(C. parasitica *Bory.* et nigrita *Ag.* in D. indicantur.)
38. C. tortuosa. *Dillw* AS. 16. Cfr. supra n. 20 — 1—3, 5.
— perreptans. *Carm.* Z. littoreum. *Lngb.*
39. C. implexa. *Dillw.* AS. 42. Bangia viridis. *Fl. Dan.* - 1--3.
(C. nebulosa et C striatula *Ag.* nondum pl. expositae.)
40. C. quadrangula. *Lngb.* — 3.
γ. Stirps *C. Ericetorum*, coloratae.
41. C. ericetorum. *Roth.* — 1—4.
42. C. alpina. *Bory.* — 3. 5.
43. C. atroviolacea. *Ag.* — 4. (Dalekarlia.)
b. Myxonemata. **Ramosae*, Draparnaldiae ectypus!
44. C. lubrica. *Dillw.* Draparn. tenuis. *Ag.* — pusilla *Lngb.* 1-4. P.
45. C. nana. *Lngb ?* M. investiens. *Fl. Sc.* — 2, Färrö.
46? C. stellaris. *Fl. Dan. Smrf.* — 1, 4, 5.
***simplices.* Tiresiae ectypus!
47. C. zonata. *Web. Mohr.* AS. 80. — 1—6.
— dissiliens. (*Dillw. Lngb.*) — brachymelia. (*Lngb.*)
48. C contorta. *Lngb.* — 3? — Färrö.
?49. C. turfosa. AS. 41. — 2.
50. C.? hiemalis. *Roth.* — 4. *Agardh.*

XXIV. Hormiscia *Fl. Scan.* Conferva *Auctt.*
(H. Wormskjoldii. *Fl. Dan.* in Sc. haud lecta.)
1. H. ornata. *Ag.* — 4 (Holmiae.)
2. H. penicilliformis. *Roth.* C. hormoides. *Lngb.* — 1, 2.
— flacca. (*Lnbg.*)

XXV. Erythrotrichia. *Arsch.* Conferva. *Lngb.*
1. E. arachnoidea. *Arsch.* C. ceramicola. *Lngb.* — 1—3.

b. *Zygnemeae.*

XXVI. Hydrodictyon. *Roth.*
1. H. utriculatum. *Roth.* Conf. reticulata. *L.* — 1—4. P.

XXVII. Mougeotia. *Ag.* Conferv. *Auctt.*
1. M. genuflexa. *Roth.* AS. 20. — compressa. (*Ag.*) — 1—6.
*2. M. Agardhiana. *Wallm.* — 2 (OGoth. Slaka.)

XXVIII. Tyndaridea. *Bory.* Zygnem. bipunctata. *Ag.*
1. T. pectinata. (*Vauch.*) — 1—5.
*2. T. cruciata. (*Vauch.*) — 1—6. } Unica species *Arsch.!*
*3. T. gracilis. *Ag,* — 1, 2—4. P.

XXIX. Zygnema. *Ag.* Conjugata. *Vauch.* Conferv. *Auctt.*

1. Z. nitidum (*Fl. Dan.*) — 1—6. — adnatum. *Ag.*
2. Z. deciminum. (*Müll.*) — 1—6. — fasciatum. *Ag.*
3. Z. quininum. (*Müll.*) — 1—6. — longatum. *Smrf.*
4. Z. curvatum. *Ag.* — 4. (Mälaren.)

c. *Oscillatorieae.*

XXX. Oscillatoria. *Vauch.* Conferva. *Auctt.*

1. O. chtonoplastes. *Bang.* — 1. (Fyen.)
2. O. antliaria. *Iurg.* — 1, ?2.
3. O. autumnalis. *Ag.* — vaginata. *A.* — 1—4.
4. O. rupestris. *Ag.* — montana. *A.* — 2, 4.
5. O. nigra. *Vauch.* — 1—5.
6. O. corium. *Ag.* — 2—4.
7. O. subfusca. *Vauch.* O. corium. *Lngb.* — 1—4.
8. O. Retzii *Ag.* — O. laevigata. *Vauch.* — 2—5.
9. O. muscorum. *Ag.* — 2.
10. O. tenuis. *Ag.* — 1—5.
11. O. flexuosa. *Ag.* — 1, 2.
12. O. subsalsa. *Ag.* — 2.
13. O. limosa (*Roth.*) AS. 84. — 1—5.
14. O. chalybaea *Mart.* — emersa. A. — 2.
15. O. princeps. *Vauch.* — 1, 2.
16. O. curviceps. *Ag.* — 2. (Scania)
17. O. aeruginosa. *Suhr.* — 1.
18. O. lutea. *Ag.* — 2. (Helsingborg.)
(O. ochracea. Dillw. —)

XXXI. Scytonema. *Ag.* Conferva. Auctt.

1. S. Friesii. *Ag.* s. Oscillat. — 2. (Femsjö), 3.
2. S. Hoffmanni. *Ag.* 1—4. —? rupestre. 2. (Fems)
3. S. penicillatum. *Ag.* — 2. (Bleking.)
4. S. Myochrus. (*Dillw.*) C. seriata. *Whlnb.* — 1—5.
5. S. ocellatum. (*Dillw.*) — 2, 3.
6. S. panniforme. *Ag.* — 4.
7. S. minutum. *Ag.* C. tuberculata. *Smrf.* — 2—5.
8. S. compactum. *Ag.* — 3—5.
9. S. variegatum. *Liebm.* — 1.
(Spp. terrestres et rupicolae forte hypothalli Lichenum.)

XXXII. Siradium. *Liebm.*

1. S. intricatum. *Liebm.* — 1.

XXXIII. Calothrix. *Ag.* Conferv. Oscill. *Auctt.*

1. C. distorta. (*Fl. Dan.*) — lanata. (*Desv.*)
2. C. Wrangelii. (*Ag.*) — 2.
3. C. mirabilis. (*Dillw.*) — 2.
4. C. scopulorum (*Web. Mohr.* nec Ag.) C. fascicul. *Ag.* AS. 23.
5. C.? involvens. AS 82. — 2 o.

XXXIV. Lyngbya. *Ag.*

1. L. majuscula. (*Dillw.*) L. glutinosa. *Ag.* — 1, 2.
2. L. aestuarii. (*Jurg.*) AS. 24. L. ferrugin. *Ag.*
— aeruginosa. *Ag.* — crispa. *Ag.*
3. L. lutescens. *Liebm.* AS. 81.
4. L. muralis. (*Dillw.*) — 1, 2, 4.

XXXV. Leiblinia. *Kütz.* Conferv. et Oscill. *Auctt.*

1. L. Hoffmanni. (*Ag.*)
2. L. brevis. (*Liebm.* sub Calotr.)
3. L. Zostericola. (*Lngb.*) Calotr. scopul. *Ag.* — 1, 2.
4. L. Confervicola (*Dillw.*) — mucor. *Ag.*

Leptomitus clavatus s. Achlya prolifera vix a Sporendonemate (Fungo) differt. *Hygrococis atramenti* (Lngb.) myeelium Penicillii glauci! Cfr. ceterum Bysseas et Conferveas.

Appendix: Anabaena. *Bory.*

1. A. Licheniformis. *Bory.* (Prima stamina Collematis?) — 2.
2. A. calcicola *Ag.* sub Nostoc.
3. A. flos aquae L. s. Bysso.

Chlorococcum. *Fr.*

1. C. botryoides. *Lyngb.* sub Palmella. — 1—3.
[In aliam plantam non transit.]

Protococcus. *Ag.* Sphaerella. *Smrf.*

1. P. nivalis. *Ag.* — Lepr. Kermesina. *Wrang.*
2. P. viridis. Ag. ("Omne in potestate." Fr. S. O. V.)

Familiam *Diatomacearum*, ultimis lustris immense auctam, hac vice omitto, cum de loco in regno animali an vegetabili adhuc disputetur. Meam ut praefiscini dicam sententiam, cum Ulvaceis ita arcte conjunctae, ut e Vegetabilium censu prorsus excludere haud liceat.

FUNGORUM classem, quae in Flora nostra specierum numero reliquas omnes simul sumtas superat, alteram hujus opellae sistant partem, cum haec vastissima orbis vegetabilis provincia non modo quoad species, sed ipsarum quoque geographicam distributionem plenius apud nos explorata sit, quam in aliis terris. Ibidem simul subministretur occasio tam rationem reddendi multorum eximiorum novorum inventorum, quam innumerorum generum *quisquiliarium*, ex anamorphosibus perfectiorum, myceliis, Zoogeneis etc. conditorum, quibus iterum conspurcata est.

SYNOPSIS STIRPIUM VASCULARIUM
SCANDINAVIAE,
IN CEL. KOCHII SYNOPSI FLORAE GERMANICAE HAUD OBVIARUM VEL ALITER EXPOSITARUM.

In his exponendis, tam in familiis, quam generibus ordinandis limitandisque, expositis meae passim exceptionis rationibus, admirabile laudatumque opus stricte secutus sum, ut lectoribus comparatio facilitetur. Numeri ante genera et species positi Kochii synopsin respiciunt.

RANUNCULACEAE. Koch Syn. p. 1. Cfr. Supra p. 25.

III. THALICTRUM. "Species in nullo genere propria differentia et nota distinguuntur difficilius quam Thalictri." *Linn. Svec. p. 192.* E soli insuper et stationis varietate ita mire mutantur, ut ejusdem speciei formae magis appareant dissimiles quam analogae diversarum. Hinc facile intelligitur, cur e fugaci vel speciminum siccorum superficiali examine hinc individuales lusus tamquam species proponantur, illine omnes subsimiles formae, more Spenneriano, sub vagis titulis: *vario*, *polymorpho* c. s. p., coacervantur. Species Scandinavicas, cultas et spontaneas, per plura lustra sedulo observans fingo mihi contigisse duplo plures, quam antea cognitae fuerunt, rite distinguere, quarum duae regionibus arcticis magis privae vix in Germania obviam venient. Sed etiam species e stirpe *Th. minoris* hoc loco indicare necesse est, cum de harum synonymis dubia restent differentiasque essentiales in carpellis, in definitionibus Kocheanis omissis, ponam. Omnes nostrae species, speciminibus in H. N. distributis, fixae.

5. TH. MINUS L. et Kochii! Idem omnino nos sub eodem nomine (*Nov. Mant. III. p. 45*) et Wallrothius (*Sched. Crit. p. 255.* sub Th. montano) descripsimus. Gravissime errant, qui hoc cum sequentibus jungunt. Notae essentiales sunt: *caules solidi, flexuosi, striati, basi aphylli, vaginis scariosis obvoluti; auriculae vaginarum patulae; panicula divergens, ramis mediis rectangulis*, in elatioribus divaricata; c a r p e l l a (sqq duplo majora) *fusiformia, compresso-ancipitia, octocostata.* — Unicum carpellum ad hoc et duo sequentia discernenda semper sufficit. — In Scandinavia, quantum novimus, haec species tantum occurrit ad oras occidentales (sequens ad orien-

les), in ipsa arena litorali digitalis tantum vel spithamaea et eximie glaucopruinosa; at in proxima prata et dumeta adscendens elatior fit, omnibus partibus latior et laetior (var. *virens* Koch). Ex his formis solo fertili hortorum educavimus plantam tripedalem, foliolis maxime divaricatis dilatatisque, panicula maxime larga et dilatata, ramis horizontalibus apice pendulis, quae optimum *Th. majus* Iacqu. sistunt. saltim *Reichnb. Ran.* f. 4629 (quatenus rami depicti sunt paniculae floriferae laterales) hanc optime repraesentat.

6 b. TH. FLEXUOSUM (Reich. Ic. Ran. f. 4628), caule *solido striato basi foliato*, auriculis vaginarum brevibus adpressis, superioribus apice patulis; petiolis subtus tricarinatis, foliolis subrotundis cuneatoque-oblongis 3-5-lobis, subtus pallidioribus, panicula elongata flexuosa erecto-patula, floribus staminibusque cernuis, *carpellis oblongo-attenuatis compresso-ancipitibus* 10-costatis. *Fr. Nov. Mant. III. p. 47.* Th. collinum. *Wallr.! l. c.* excl. descr. fructus, qui sq. convenit. In pratis humidis Daniae (I. Vahl) et Gothiae orientalis. ♃. Jun. Jul. Est multorum *Th. minus* (Wimm. Fl. Sil. II. p. 150 bene convenit) et *Iacq. Austr. t. 419* habitum optime sistit, licet folia dicantur stipellata, qualia non vidi, sed huic notae haud nimium tribuendum videtur; in sq. stipellae passim deficiunt. Statura non minus quam *Th. minoris* varia, a spithamaea (Reichenb.! Herb. Fl. Germ. VII. n. 691) ad tri-quadripedalem (H. N. VII.) altitudinem, at semper pro ratione tenuius, et *infra paniculam strictum.* Differt insuper a priori *caule basi foliato*, *vaginis magis adpressis*, *panicula foliosa elongata et erecta*, *floribus minoribus* et praecipue carpellis minoribus, basi minus attenuatis, decemcostatis. Hujus forma solo pingui hortorum educata ab analoga *majori* Th. minoris longe diversa est, admodum laxa, *Th. capillari* Reich. ic. f. 4634 bene repraesentata. (Desunt tamen fructus.) — Th. silvaticum *Koch!* sec. largam speciminum ex ipsius manu messem, ab hoc omnino diversum est, habitu magis sequentis. Olim Th. flexuosum pro *Th. majori* Koch syn. habui, sed postquam hoc in addendis cum *Th. suo Iacquiniano* conjunxerit, utrumque mihi dubium evasit. Hinc coactus fui servare nomina jam ante editam Synopsin Kochianam a me recepta nec Bernhardi nomen ineditum, indeque nullius auctoritatis, Reichenbachianum meo sensu tollit.

7 b. TH. KOCHII (Fr. H. N. VII et Nov. Mant. III. p. 46) caule *cavo stricto nudo laevi*, sub vaginarum auriculis rotundatis horizontaliter patentibus striato, *petiolis costato-angulatis*, foliolis subrotundis 3—5-fidis subtus pallidioribus, panicula elongata erecta, floribus sparsis staminibusque cernuis,

carpellis e basi obtusissima breve ovatis aequalibus 10--costatis. In pratis silvaticis Gottlandiae. ♃. Jul. *Hoc solum ex hac grege apud nos stipellatum vidi*, at stipellae subinde deficiunt. Huic quoque descr. *Th. collini* in Koch Deutschl. Flora bene convenit indeque nomen nostrum appositum; sed de synonymo *Th. Iacquiniani* dubius factus sum, et icone Iacquini, quae meam stirpem non refert, et unione ejusdem cum *Th. majori* Syn. in addendis. Ab utroque praecedentium nostrum clare differt, (vaginas, paniculam etc. ut taceam.) *caule firmo stricto cavo ex maxima parte haud striato*, basi foliato, et *carpellis duplo brevioribus, at pro ratione magis tumidis, breve ovatis, aequaliter rotundatis, numquam compresso-ancipitibus.*

8 b. TH. KEMENSE (Fr. Hall. et Nov. Mant. III. p. 48.) caule *cavo costato-angulato*, auriculis vaginarum rotundatis integerrimis erectis, *petiolis partialibus teretibus!* foliis ternato-supradecompositis exstipellatis, foliolis subrotundis obovatisve 3-5-fidis, panicula arrecta rariflora subaphylla, pedunculis elongatis cum floribus staminibusque erectis, *antheris mucronato-appendiculatis*, carpellis oblongo-fusiformibus costatis. *Nyland. Spic. 2. p. 9. Obs. 1.* Th. flavum *β. Whlnb. Lapp. p. 152.* Th. majus. *Whlnb. Svec. p. 368.* Cfr. *H. N. IX. 26.* Ad ripas Lapponiae orientali-arcticae; copiose ad Utsjocki. ♃. Jul. Post *Th. aquilegifolium* speciosissimum nostratium, cum sq. (et *Th. leptophyllo* Nyl.*) a me non viso) sistens stirpem tam a Th. minoris s. praecedentibus, quam Th. flavi (Th. flav., simplex. angustifol.) distinctissimam, panicula rariflora porrecta, at e methodo Kochiana ad sectionem *sparsifloram* referendum. Radix repens. Caulis 3, 4-pedalis saepe flexuosus inanis, facile comprimendus. Folia late triangularia, laete viridia; foliola lata, obtusa, tenuia, subtus obsolete venosoreticulata. Panicula rariflora, bracteis linearibus, pedicellis simplicibus strictis, uncialibus. Antherae lineares, conspicue mucronatae. Carpella numerosa, fasciculata.

8 c. TH. RARIFLORUM, caule stricto costato-angulato, ad apicem folioso, auriculis vaginarum acuminatis, *petiolis partialibus angulosis, foliis pinnato-compositis* exstipellatis, foliolis cuneatis apice 3-7-fidis, *panicula rariflora* pedunculisque simplicibus subdivisisque strictis; *floribus staminibusque erectis, antheris submuticis*, carpellis subfusiformibus compressis costatis. ♃. *Fries Sched. in H. Norm.*

— *boreale*, caule simplicissimo farcto, superne pruinoso, floribus sparsis alaribus. Th. simplex boreale *H. N. X.* T.

*) TH. LEPTOPHYLLUM, "radice tenui fibrosa, caule cavo striato, foliis ternato-compositis, foliis tenuibus, petiolis exstipellatis angulosis, panicula pyramidali parviflora, antheris oblongis submuticis. Versus exitum Sinus Kolaensis Lappon. Rossicae." Nyl. Spic. II. p. 8.

strictum (*Ledeb.*) *boreale. *Nyl. Spic. II. p. 7.* Ad ripas fluviorum Norrlandiae (Angermannia!) et Lapponiae. — b. ad fluvium Kemensem et loca adjacentia copiose. ♃. Jul. Forma primaria *Th. flavum*, borealis *Th. simplex* referunt, quare cum his commutatum fuit, sed toto inflorescentiae typo praecedenti proximum. Radix ut in his omnibus repens. Caulis durus, rigidus, strictus, costis elevatis fusco-lineatis angulosus et, ex amic. Nylandri observationibus, subpruinosus. Folia parum et pinnato-composita; foliola varia, leviter incisa, subtus glaucescentia, *elevato-nervosa*. Panicula et flores fere praecedentis, a quo tamen ob caulis indolem, vaginas acuminatas, petiolos partiales angulatos, foliorumque pinnatorum diversam fabricam nec non carpella etc. non potest non tute distingui.

Cel. *Nylander* var. borealem, pro *Th. simplici* a Laestadio quoque missam, ad *Th. strictum* Ledeb. Fl. Ross. p. 10 et quidem secundum specimina altaica refert, at nec descriptio convenit, nec specimina mecum a Cel. Sonder missa, quorum inflorescentia ad alium typum pertinent et carpella brevia ovata. At inter hanc borealem formam et nostrum Th. rariflorum autem nuperius vidimus tam contigui transitus, ut de horum nexu nullum supersit dubium.

10. TH. GALIOIDES. Haec species quoque certissima est Florae nostrae civis; specimina Nestlerianis ad unguem respondentia ex Ölandia misit Cl. Sjöstrand, eandam vero omisi donec ulterius cum *Th. simplici v. tenuifolio* et Th. Bauhini *Reich.* Ic.) s. angustifolio comparare licuerit.

IV. ANEMONE. Ab hoc genere PULSATILLAE, carpellis a stylo persistente rostratis, tam conspicue differunt, ut genus meo sensu facile servandum. Harum differentia non tollitur, potius confirmatur analogo involucri lusu in utroque genere; ordo specierum, dispositione biseriali sub diversis, quam uniseriali sub eodem genere, fit clarior. At HEPATICAE differentia nulla est; involucrum simplex ad fructificationem non pertinet et cum foliis simplicibus necessaria compede junctum. Sic in Suecia antiquitus vulgus Anemones et Pulsatillae genera distinxit et nos non spernimus hujus, obscurum licet, affinitatis sensum.

1. A. HEPATICA. — **glabrata* (Mant. III. p. 45) glaberrima, foliis reniformibus, lobis apiculatis, ovariis carpellisque glabris. In Ostrogothia et Sudermannia raro. Flores albi. Speciebus plerisque Candolleis longe insignior.

VIII. RANUNCULUS. Ab hoc genere cum Wimmero aliisque BATRACHIA et FICARIAS tollere placuit, ut dispositio sit minus intricata. Has greges a natura bene limitatas esse con-

stat; Batrachia quoque sistunt evolutionis seriem diversam, a statione aquatica haud pendentem, testantibus Ranunculis aeque aquaticis. Nec desunt notae essentiales, nam praeter nectarii porum nudum immarginatumque carpella et semina obliqua, adscendentia. Separatis Batrachiis Ficarias quoque segregare constans est; carpellis prorsus muticis a genuinis Ranunculis insuper diversas. At nulla ratio habenda flori anomalo, in multis genuinis Ranunculis obvio, et quidem in *R. Pallasii*, lapponico et hyperboreo inter nostrates. Quum vero, utrum definitas sectiones genera an subgenera dicamus subjectivum sit, exposita nostra exceptione, hoc loco Kochium stricte sequimur.

1. R. HEDERACEUS. Batr. hederaceum. Mant. III. p. 34. Comparationis gratia addimus, ut in plagis occidentalibus inquirantur, definitiones affinium:

R. BATRACH LENORMANDII, caule herbaceo radicante, foliis omnibus conformibus cordato-subrotundis subpeltatis quinquelobis, lobis dilatatis obtusissimis crenulatis, receptaculo ovato glabro, petalis obovato-oblongis calyce duplo longioribus, carpellis ellipticis turgidis corrugatis glabris, apice stigmate persistente breviter apiculatis. — *Schultz in Reg. Bot. Zeit. XXIV. p. 558.* sub Ranunc. In Gallia nuper detectum. Ad spec. invent. *Lenormand.* Sinu foliorum subacuto lobisque sursum latioribus ad B. peltatum accedit.

R. BATRACH. TRIPARTITUM, caule tereti herbaceo, foliis submersis petiolatis trichotomo-multifidis setaceis divaricatis, floralibus emersis tripartitis, lobis obovato-cuneatis paucicrenatis, receptaculo rugoso, petalis oblongis acutiusculis, carpellis obovatis aequalibus dense corrugatis glaberrimis, apice rotundato obtusis apiculatisque. *Dec. Fr. 5. p. 637. Reich. Ran 4574.* E Gallia; specimina Parisiensia folia habent omnino trisecta; alia ex Angers a Guepino lecta profunde tripartita.

1 b. R. CONFERVOIDES (Fries Bot. Not. 1843. p. 141 sub Batrachio c. descr) caule herbaceo filiformi, foliis omnibus submersis petiolatis repetitotrichotomis, laciniis capillaribus flaccidis, petalis obovato-oblongis obtusis, receptaculo conico-cylindrico, carpellis obovato-turbinatis carinatis obsolete rugosis ex hirto glabrellis, apice rotundato obtusis prorsus muticis. In aquosis Lapponiae et Finlandiae borealis v. c. ad Uleaborg, locis plurimis copiose. B. aquatile eradicatum *Mant. III.* hujus forma pusilla, sed typica pedalis et ultra, omnino *R. hederacei* instar micrantha. Carpellis praecedenti maxime affinis, sed obsolete rugosis stigmateque deciduo prorsus muticis facile distinctus. Sq. differunt *apiculo laterali.*

Praecedenti admodum accedit Ranunc. minutus *Döll. Rhein. Fl. p. 500,* in variis tamen recedit nec vidimus specimina.

2. R. AQUATILIS. Exclusis licet jam plurimis speciebus, adhuc videtur collectivus et Cel. Koch recepit *R. Petiveri*, *R. paucistamineum* et R. BAUDOTII. Hic, licet definitio verbotenus cadat in nostram var. *crassicaulem*, secundum specimina ab inventore lecta et ab optimo Sonder mecum communicata, forsan differt carpellis stylo laterali evidenti rostratis. At inter *R. aquatilem* Upsaliensium, *R. paucistamineum* Tausch. et *R. Petiveri* β. *Koch.* nullos reperio limites — et *R. Petiveri* α. ejusdem modo apparet varietas micrantha. Nam florum magnitudinem, staminum et carpellorum numerum manifeste variare vidimus, ut etiam foliorum natantium praesentiam et defectum. In quibusdam vero Batrachiis, v. c. *B. peltato*, *tripartito* c. s. p. planta ipsa semper sterilis deficientibus foliis natantibus, nam pedunculi enituntur tantum in horum alis. In his igitur folia natantia *necessaria* sunt; in iis vero speciebus, quae ex alis foliorum submersorum multifidorum pedunculos edunt, folia natantia accessoria, eadem ratione ac folia natantia in stirpe *Potamogetonis natantis* necessaria, in *heterophyllis* autem accessoria sunt. — Si plures distinguantur species, difficile sit dictu quis verus sit *R. aquatilis* nomenque hoc Linnaeaenum, totius generis collectivum, exclusis jam speciebus vere aquaticis, quae Linnaeo speciei typum s. var. α sistunt, eis, qui plures species non agnoscunt, relinquendum. In ulterius examen proponam duos typos, mihi hactenus constantes visos:

*BATRACHIUM *heterophyllum*, caule herbaceo angulato, foliis submersis breve et compresso-petiolatis setaceo-multifidis, *laciniis* patentibus, summis *apice setigeris*, *vaginis acuminato-auriculatis*, *emersis accidentalibus tripartitis*, lobis cuneatis incisis dentatisve, alabastris ovato-globosis, staminibus ovariorum capitulo longioribus, receptaculo globoso piloso, carpellis ventricosis corrugatis hirtis glabratisve stigmate brevi laterali apiculatis. R. aquatilis *Upsaliensium, et Auctt. pr. p.* In aquis vadosis frequenter. ♃. Jun. — Aug. Omnium maxime heterophyllus, nec alium vidi eniti formam *succulentam*. Haec non nisi statione emersa differt a forma *pantothrice* (R. paucistamineo Tauch.), utraque apud nos abit in formam *triphyllam* (R. triphyllos Wallr., R. Petiveri β. Koch.), quae speciei forma typica. An aliis locis foliis natantibus integris lobatis variet nescimus, Upsaliae modo vidi foliis et semiimmersis planis membranaceis nunc dichtomis linearibus, nunc flabelliformibus incisis, et emersis natantibus trisectis, lobis obovato-cuneatis sessilibus l. longe petiolatis. Insigniores varietates, in H. N. expositae, sunt:

— *crassicaulis*, caule inflato, flore amplo polyandro, carpellis subcentenis glabratis in capitulo magno.

— *Petiveri*, flore minuto (R. tripartit.) subdecandro, foliis emersis trisectis, lobis cuneato-flabelliformibus apice incisis. R. tripartitus *Fl. Dan.*

*BATRACHIUM *peltatum*, caule herbaceo obtusangulo, foliis submersis longe semitereti-petiolatis setaceo-multifidis, *laciniis setaceo-multifidis apice muticis*, *vaginis exauriculatis floralibus natantibus necessariis* basi cordata truncataque subpeltatis 3-5-fidis, alabastris globosodepressis, staminibus ovariorum capitulo longioribus, receptaculo ovato piloso, carpellis truncatis corrugatis hirtis glabratisve, latere apiculatis. R. aquatilis *Auctt. pr. p.* et R. peltatus *Schrank.* potius hic quam prior. In aquis, vulgo profundioribus, Upsaliae nondum lectus. ♃. Jul. Aug. Formam succulentam ex hac specie numquam legi, sed e locis vadosis fluvii Dalelfven vidi formam *isophyllam*, caule elongato natante, foliis omnibus conformibus natantibus, exinde a basi usque floriferis. E fundo lacus Mälaren habeo quoque formam pantothricem, laciniis arcte in globum l. plicam penicillatis, petiolo longiori etc. facile ab analoga praecentis distincta. Cfr. *Schagerst. Veg. Upl.*

3. R. DIVARICATUS. Batr. circinatum. *Mant. III. 52.* Hoc nomen ab omnibus Bot. Scandinaviae, Britanniae e. s. p. receptum servo, cum antiquitus nomine *R. folio circinato* cognitus et divaricati longe aptius. Ex abstractae prioritatis lege, quam non agnosco, dicendus R. peucedanifolius *Gilib.*

3 b. R. MARINUS (Fr. Mant. III. p. 51 s. Batrachio c. descr.) *caule tereti* glaberrimo eburneo, *foliis* omnibus setaceo-multifidis porrectis in vaginis auriculatis *sessilibus*, staminibus ovariorum capitulo brevioribus, receptaculo conico-cylindrico hirsuto, carpellis oblique ovatis carinatis corrugatis glaberrimis, stylo brevi apiculatis. In mari baltico a Blekingia ad Gestriciam saltim passim frequenter. ♃. Jun. Jul Sat similis *R. Baudotii* sec. inventoris specimina, qui vero caule herbaceo angulato, foliis petiolatis, emersis accessoriis (in meis exempl. desunt), stylo laterali etc. facile dignoscitur et *R. heterophyllo* proximus.

13 b. R. PALLASII (Schlecht. Ran. p. 13. t. 2) caule fistuloso adscendente, ad genicula radicante, foliis omnibus petiolatis cuneatis obovatisve tripartitis integerrimisque, calyce trisepalo, petalis suboctonis obovato-cuneatis, carpellis capitatis ovato-ellipticis gibbo-convexis, stylo uncinato rostratis. Nyl. Spic. II. p. 9. In paludosis ad Tri-Ostrow (tres insulas) Lapponiae Rossicae. *Nylander.* ♃. Aug. Sept. Tota planta glaberrima. Folia inter utramquam Hecatoniae sectionem media. Petala fugacia, alba.

16 b. R. REPTANS. L. Koch. p. 434. Ob fructus diversissimos non potest non distingui, sed in eodem capitulo vidi abortivos illis *R. Flammulae* simillimos!

§. 1. b. *R. arctici*, radice fibrosa, foliis lobatis integerrimis — peculiarem sectionem potius sistant, quam §. 4. *Koch* inserantur.

18 b. R. SULPHUREUS (Solander in Phipps Spitsberg.) caule erecto unifloro, foliis radicalibus obovato-cuneatis apice grosse dentatis subincisis, caulinis (1, 2) palmato-partitis, pedunculo sulcato, calyce receptaculoque umbrino-pilosis, carpellis spicato-capitatis ovatosubrotundis, rostro porrecto apice subuncinato. R. altaicus *Laxm. ex Ledeb. Ross. I. p. 37.* R. frigidus *Willd. Spec. II. p. 1312. Reich. ic. f. 462. Lindbl. Phys. sällsk. Tidskr. 1838 p. 316.* R. cuneatus. *Sommerf. Mag. Naturvid.* II. p. 249. var. Ad latera alpium irrigua prope Nordkap ♃. Jul. Aug. Herba adulta spithamaca, pallens, ut sqq. glabra, sed pedunculi quoque umbrino-pilosi. Flores sulphurei.

18 c. R. NIVALIS (Linn. Spec. p. 778) caule erecto unifloro, foliis reniformibus 3-7-lobis integerrimis, caulino solitario, pedunculo laevi, calyce fuscovilloso petalis breviore, receptaculo glabro, carpellis spicatis subrotundis, rostro porrecto apice subuncinato. *Linn. Lapp. t.* 3. *f. 2. Wahlnb. Lapp. p. 156. t. 8. f. 3. Sv. Bot. t. 394 Fl. Dan. 1699 Reich. Ic. f. 6, 7. In* campis alpinis aqua nivali superfusis. ♃. Jul. Aug. Paulo humilior praecedente, nitens, floribus aureis.

18 d. R. PYGMAEUS (Solander l. c. Wahlnb. Lapp. p. 157. t. VIII. f. 1) caule suberecto unifloro, foliis reniformibus quinquepartitis integerrimis, caulino solitario, calyce reflexo nudiusculo petala superante, receptaculo glabro, carpellis spicatis subrotundis, rostro toto decurvo. *Linn. Lapp. t. 3. f. 3. Fl. Dan. t. 144. Sv. Bot. t. 748. Reich. Ic.* 1. *f. 35.* Locis similibus, at magis occultis, ad rivulos vulgatior. Facies R. scelerati minimi, supinus, defloratus modo erigitur et parum elongatur. Pubes pedunculorum et calycis parum conspicua alba (nec fusca priorum).

18 e. R. HYPERBOREUS (Rottb. Act. Hafn. X. p. 458. t. 4. f. 16) caule prostrato radicante ramoso 2-00-floro, foliis spathulatis profunde trilobis, lobis divergentibus integerrimis, calyce subtriphyllo petalis totidem breviori, carpellis capitatis subrotundis punctulatis submuticis. *Wahlnb. Lapp. 158. Fl. Dan. t. 331. Sv. Bot. t. 49. Reich. Ic. f. 21, 22.* Locis limosis in regione subartica (Pini ad terminum Betulae) in provinciis alpinis et arcticis. Jul. Aug. Caules filiformes, intricati, fragiles, digitales — pedales; articulis inter radiculas saepe arcuatis. Carpella obtusa, stigmate brevi modo apiculata.

18 f. R. LAPPONICUS, (Linn. Spec. p. 778) caule radiciformi subterraneo, ad genicula radicantia exserente pedunculum foliumque tripartitum, lobi cuneatis obtusis crenatis, sepalis subtribus petala vix aequantibus, carpellis capitatis laevibus, rostro e basi dilatata decurvo apiceque uncinato. *Linn. Lapp. t. 3. f. 4. Wahl. Lapp. p. 156. t. 8. f. 2. Sv. Bot. t. 749.* Locis uliginosis silvaticis sub zona arctica tantum (nec in alpinis v. c. Norvegiae mediae l. australis) in Lapponia omni, et provinciis borealibus Sueciae, Angermannia, Jemtia, Dalekarlia raro. ♃. Jul. Aug. Valde ab omnibus distat.

27* R. SILVATICUS (Thuill. Par. p. 276.) rhizomate horizontali repente, caule multifloro inferne petiolisque hirto-sericeis, foliis tripartitis subtus sericeis, laciniis subrhombeis incumbentibus acute incisis, pedunculis teretibus, rostro carpellis multoties breviori compresso recto. *Sommerf. Mag. f. Naturv. IX. p. 9.* R. acris velutinus *Lindbl. Phys. Sällsk. Tidskr. 1838. p. 318.* In inferalpinis et subalpinis Norvegiae mediae et occid. passim. Si planta nobis in Svecia media casu obvia, *Nov. Mant. III. p. 50*, prorsus eadem sit, sistit speciem a *R. acri* diversissimam, cum ejus forma, *R. Stevenii* dicta, neutiquam confundendam, licet diagnosi aegre separetur. Radix valida, caules admodum crassi, cavi. Folia iis *R. aconitifolii* similia, omnia conformia, nulla linearia. Rostrum rectum, patens, infimorum parum modo curvatum.

30 R. NEMOROSUS. Dec. Specimina Upsaliensia manifeste cum *R. polyanthemo* confluunt; indeque a me pro varietate declaratus; at Gottlandica ab illis nonnihil recedunt petalis fulvo-aureis, rostro arctius convoluto et pubescente, quare hanc supra ut *subspeciem* admisi.

XVII. ACONITUM 3. STÖRKEANUM. Hoc appellavi *A. Cammarum* L., sub quo nomine antiquitus in hortis nostris Pharmacopolarum obviam venit, fide Swartzii in *Sv. Bot.* t. 46, qui jam 1802 monet "A. Napellum Störkei verum esse *A. Cammarum*" L,

Ordo III. NYMPHAEACEAE, Koch. syn. p. 29. — Supra p. 25.

1 NYMPHAEA. 2 BIRADIATA. Haec multis Sveciae locis copiosa, nec aliam hactenus vidi per totam regionem Upsaliensem. At pro certa specie non habeo, saltim stigma innumeris modis ludit, in minoribus radii pauci (5—8), in maximis viginti et ultra. Forma quoque et colore variat. Nobilissima et rara est forma stigmate toto sangineo, radiis nunc *tricuspidatis !*, nunc integris. Vulgatissima in stigmate luteo habet maculam discoideam sanguineam in singulos radios dentibus tribus

excurrente sed per gradus haud sensibiles haec macula expallet et sensim abit in stigma luteum. In his igitur nulla differentia. Praestantior forsan e foliorum figura desumta, at cum hoc anno Nymph. albam conferendi defuerit occasio (prope Holmiam primum obviam venit) nil statuere ausus sum. Etiam genus Nuphar indicat majorem foliorum, quam stigmatis radiorum constantiam.

II NUPHAR. Quattuor apud nos lectae formae vulgo species dictae, at *N. Spennerianum* varietatem *N. pumilae* omnino censeo, nec in vivo observare licuit sq.:

1 b. N. INTERMEDIUM (Ledeb. Fl. Alt. II. p. 274) calyce 5-sepalo, *ovarii rostro costato stigmate planiusculo margine sinuato coronato*, *foliis* subovalibus profunde *sagittato-cordatis*, sinu marginibus extrorsum aperto, petiolis depresso-planiusculis. N. lutea *Whlnb. Lapp. p. 150?* Aliam speciem in Lapponia se non legisse monet cl. Anderson. In fluviis et lacubus minoribus Lapponiae subsylvaticae fere totius. ♃. Fl. Jul. Aug. Secundum observationes Cl. *Anderson*, quem stricte sequor, inter *N. luteum* et *minimum* medium. Petala ut in N. luteo sunt magna, unguiculato-cuneata fere stigmatis latitudine. ab eodem tamen diversum floribus duplo minoribus, stigmate demum fere hemisphaerico, foliis multo minoribus petiolisque depresso-planiusculis ancipitibus; a N. pumilo aperte diversum: petalis duplo triplove majoribus, aliter formatis, costis evidentibus in stipite stigmatis, stigmate haud acute dentato, lobis foliorum sagittato-divergentibus, multo minus approximatis quam in *N. pumilo.* (Hujus petala sunt duplo angustiora, aequaliter spathulata, nec in unguem contracta). — Antherae in uno eodemque individuo et subquadratae et latitudine sua duplo longiores lineares. Radii stigmatis nunc ante marginem, tum integrum, evanescunt, nunc usque ad marginem, tum lobatum, excurrunt.

PAPAVERACEAE. Koch syn. p. 30. Supra p. 28.

I. PAPAVER ALPINUM. P. nudicaule *Rottböll.* et Botanic. Scand. quod propria censetur zonae arcticae species, est modo forma magis contracta, foliis simpliciter pinnatis *P. alpini.* Specimina a P. alpino non distinguenda ex alpe Kipinä Lapp. Rossicae Cl. *Nylander.* Nostrae formae icones exhibent *Fl. Dan. t. 41. Reich. Ic. VIII. f. 985.*

IV. CHELIDONIUM MAJUS — *crenatum*, petalis crenatis, siliquis longioribus contortis (Fr. Nov. p. 169). In silvis Scaniae.

Non cum *Ch. majori laciniato* commutandum.

V. FUMARIACEAE. Koch. syn. p. 33. Supra p. 28.

1 CORYDALIS. De speciebus nostris Bulbocapni confer Dr. in Bot. Not. 1842. et Fr. Nov. Mant III. De speciebus *radice basi ima fibrosa, petiolo inferiori squamaeformi* in synonymis tanta restant dubia, ut nostras hoc loco definire necesse videatur.

2 C. SOLIDA. Caveas ne in hac determinanda fidas bracteis palmatis in omnibus sqq., immo *C. cava* observatis. Eximie differt singulis floris partibus. Racemus elongatus, semper erectus; bracteae flabellaeformes aequaliter palmato-incisae; pedicelli capillares laxi, fructiferi capsulam anguste lanceolatam aequantes. Petala exteriora apice divergentia, inferius basi eximie gibbum, calcare curvato, stylo a basi geniculata deflexa adscendente. — Syn. Linnaei omittendum utpote anceps, nec haec ceteris apud nos rarior tanquam Svecica Linnaeo fuit cognita. *Sv. Bot. t.* 531 *f.* 1. *Reich. Ic. f.* 4462. optim.

2 b. C. LAXA (Fr. Mant. III. p. 86) radice tuberosa solida, foliis biternatis incisis *apice muticis*, racemo cernuo, bracteis inaequaliter incisis integerrimisve, pedicellis rectis capillaribus capsulam anguste lanceolatam dimidiam aequante, *petalis interioribus apice impressis carina excurrente*, exterioribus apice integris denticulatis, infimo basi leviter gibbo, calcare styloque rectis. *Sv. Bot. t.* 531. *f.* 2. mala, pro var. minori prioris. In nemoribus Sueciae orientalis, Scaniae — Uplandiae ad Steninge. Inter *C. solidam* et *fabaceam* medium tenet locum et ex hac conjungendas olim finxi. Ad hanc, bracteis palmatis integerrimisve frequenter variam, pertinet omnino fida observatio in *Nov. Fl. Su.* p. 222! n. 215 obs. A *C. solida* dignoscitur racemo cernuo, pedicellis duplo brevioribus, petalis styloque haud geniculato-deflexo; a *C. fabacea* foliolis muticis, pedicellis capillaribus duplo longioribus, bracteis flabellaeformibus subincisis, capsula anguste lanceolata. Statura variat utriusque, nunc ampla racemo multifloro prioris, nunc tenella paucifloro sequentis.

3 C. FABACEA (Koch. l. c.) radice tuberosa solida, foliis biternatis incisis *apice calloso apiculatis*, racemo paucifloro curvato, fructifero nutante, bracteis ellipticis integerrimis subcrenatisque, pedicellis firmis rectis capsula ovato-lanceolata triplo brevioribus, *petalis interioribus apice integris carina excurrente*, exterioribus emarginatis, infimo basi subaequali, calcare styloque rectiusculo. *Drej. l. c. Fr. l. c. Sv. Bot. t.* 15. *Fl. Dan. t.* 1394. Per omnem Scandinaviam. Omnium maxime praecox, ceteris minor, foliorum laciniis angustioribus.

4. C. pumila (Host. an Kochii?) radice tuberosa solida, foliis biternatis apice muticis, racemo laxiusculo, *fructifero erecto*, bracteis palmato-incisis integrisque, pedicellis firmis *fructiferis recurvatis* capsula ovato-lanceolata triplo brevioribus, *petalis interioribus apice integris carina ante apicem evanescente*, exterioribus apice truncatis crispulis, infimo basi subaequali, calcare styloque subadscendente rectiusculis. *Fr. Mant. III. p.* 86. *Drey. l. c.* C. Halleri. *Fl. Dan. t.* 1224. Bulbocapnos Lobelii. *Drey. l. c. p.* 31. Cum praecedente, at minus frequens et paulo serius florens. ♃. Statura pumila, at saepe robusta floribusque, ob petala interiora pallida *lutescente-variegatis* in siccis, a praecedentibus facillime distinguitur. At cum *C. laxa* a plerisque ita confunditur, ut pleraque synonyma extera adhuc dubia sint. Eandem vero ab omni *C. laxa* distinctissimam esse in novissimis litteris, paulo ante obitum datis, agnovit d. *Dreyer*.

II. FUMARIA. Differentiam ochroleucae *F. capreolatae* ab occidentali *purpurascente* s. F. *media* Lois. Dec., sec. syn. anglica, eamque in pedicellis illius fructiferis constanter recurvatis positam, a me diu praemonitam, nunc in Syn. III. p. 1017. agnoscit Cel. Koch, indeque addatur:

2. F. muralis (Sonder in Koch Syn. l. c.). Fum. media *Fr. Mant. III.* et *Auctt.* Eur. occ., sed hoc nomen varia interpretatione anceps factum. In cultis Norvegiae maxime occidentalis. (1843 cum saburra introductum ad Halmstad.)

CRUCIFERAE. Koch. syn. p. 56. Supra p. 28.

IV. BARBARAEA. Conf. Fr. Mant. III. p. 73.

2. B. arcuata. Reich. — Ad hanc pertinet ut forma cultura nobilitata B. praecox *Smithii*, primitiva in Fl. Brit. (non Engl. Bot.), *Fr. Nov.*, *Whlnb. Suec.* — *Fl. Dan. t.* 1759. omniaque loca ex Eur. bor. et synonyma antiquiora, e quibus *B. praecocis* nomen necesse pendeat. Quo errore hoc nomen translatum in *B. patulam* nostram (B. praecocem *Recent.* sed Patribus incognitam) l. c. plene et clare exposuisse mihi videor.

3. B. stricta. Haec species a me primo distincta et jam 1819 *B. stricta* denominata, ut Cel. *Reichenbach* in Reg. Bot. Zeit. 1821 testatur. Dein alteram editionem novitiarum Fl. Suec. editurus inventori concessum finxi aptius proponere nomen (*B. parviflorae*); nostro vero ab Andrzejowsci plurimisque recepto primum meum recipere coactus fui.

VI. ARABIS. L. Species Scandinaviae e stirpe *A. hirsutae* vid. Bot. Not. 1843.

8 b. A. GLASTIFOLIA (Reich. Ic. Tetrad. f. 4343. c.) caule inferne pilis patentibus hirsuto, foliis oblongis denticulatis pube ramosa adspersis, radicalibus in petiolum angustatis basi cordata sessilibus auriculis patulis, siliquis erectis anguste linearibus compressis nervo prominulo, seminibus oblongis *apteris linea obscuriori cinctis*. Ejusque forma mutila glabrataque Ar. curtisiliqua *Dec. Syst.* II. p. 144. In nemorosis rupestribus Scaniae alibique raro ♃. Jun. Ab *A. hirsuta* vulgo haud separata; meo sensu ad *A. ciliatam* se habet ut *A. sagittata* ad *A. hirsutam*.

V. CARDAMINE. C. hirsuta et silvatica (= *C. h. clandestina* Fr. Nov.) apud nos in iisdem regionibus semper obviis sed statione semper diversis, distinctis, equidem disserîiar: longe insignior est *C. hirsuta v. silvatica* Fr. Nov., planta 1.2. pedalis et ultra, ramosa, c. s. p. sed nec haec essentiales notas offert.

2 b. C. BELLIDIFOLIA (Linn. Spec. p. 913) foliis conformibus longe petiolatis ovatis integerrimis apiculatis, siliquis adpressis fastigiatis. *Linn. Fl. Lapp. t.* 9. *f.* 2. *Fl. Dan. t.* 20. In petris irriguis earumque fissuris per alpes totius Scandinaviae (et arcticae zonae). ♃. Vix umquam digitalis, siliquis pro ratione admodum crassis, sed elastice dehiscentibus. Differentias a *C. alpina* Willd. jam plene exposuit Koch; haec ne nostrae quidem affinis, sed *C. resedifoliae* proxima.

IX. SISYMBRIUM. Sectio V. Arabidopsium in Fl. Scand. omnino contra naturam — Cfr. pl. sq — ab Arabide divelleretur. Cum "nullus in rerum natura character constans et immutabilis" sit, malo contra characterem, quam affinitatem naturalem peccare.

10. S. THALIANUM — *lyratum*. Arabis *L. et Summ. praeced.* Cfr. Nov. Mant. III. p. 80. Duplex hujus exstat forma; altera micrantha, annua, foliis sinuato-dentatis, quae tam directe in *A. thalianam* L. abit *ut certissime mera varietas* et inter centurias speciminum multa ipsissimam Ar. thalianam sistunt. *H. N. VII.* 24. — Altera vero insignior est, macrantha, biennis, definitis regionibus obvia; cum per se valde sit insignis, omnino constans et de ejus affinitate judicia varient (*Smith et Decandolle* dubitantes *A petraeam* censent; *Hartmannus* noster, qui primus ad A. Thalianam retulit, nuper ad A. arenosam revocavit) tanquam subspecies seorsim proponenda:

*ARABIS T. SUECICA (H. N. X.) hirta, pilis caulis simplicibus, foliorum 2-3-furcatis, foliis radicalibus obovato-oblongis *pinnatifido-lyratis* dentatis, caulinis numerosis cuneato-lanceolatis,

pedicellis patentibus, siliquis adscendentibus, seminibus exalatis. Ar. thaliana lyrata biennis *Nov. Mant.* l. c. In Svecia media s. stricte s. dicta, a Sudermannia et Nericia ad Dalekarliam et Westrobottniam innumeris locis copiosa, at ne quidem in Gothiam descendens ☽ Maj. Jun. Meo sensu proxima *A. thalianae*; sed petala semper alba duplo saltim majora, calyces lutescentes. Ad A. arenosam, cui subiungit Cel. Hartman, patria quoque diversa, nullos vidi transitus, licet externa facies cum hac major sit. Haec vero differt foliis radicalibus lyrato-runcinatis et frequentius lobatis, caulinis paucis lanceolatis superioribus integerrimis, siliquis planiusculis vel erectis l. patentibus semper vero strictis et cum pedicello linea recta porrectis, petalis etiam in varietate albiflora plus minus lilacinovergentibus, seminibus alatis (ala tenuissima et in vetustis paene obliterata variat) et cotyledonibus accumbentibus, quae in A. Svecica oblique incumbentia. Cel. *Hartman* observat se in hac vidisse accumbentia, nec desunt alia exempla situm cotyledonum esse varium, qua ratione nos, naturae convenienter, praesentibus vix ullis limitibus, *A. thalianam* cum *A. suecica* sub prisco genere servamus.

XII. ERYSIMUM. 3 STRICTUM. Cum hoc sit *E. hieracifolium* omnium Bot. Scand., ut etiam manifeste Linn. Suec. et Spec. Plant., hoc nomen servare coacti sumus. *Cheir. alpinum* Smith., Whlnb. Lapp etc., praeeunte Cel. Wahlenbergio ad hoc olim revocavimus, et Erysimi species manifeste est, licet apud recentiores Auctt. v. c. Decandolle, Ledebour etc. tanquam species distincta Cheiranthi citetur. Jam vero vidi omne *E. hieracifolium* Sveciae mediae ad hoc *Er. alpinum* (Smith.) pertinere, et edoctus sum idem in *E. hieracifolium* Scandinaviae australi-occidentalis nec in statione naturali, neque cultura abire. Caules hujus strictissimi, vulgo elatiores sed graciliores, canescentes. Folia constanter minora, saepe integerrima. Flores *E. cheiranthoides* haud conspicue majores, pallidiores. Siliquae graciliores, virescentes, erectae *flaccidae, demum patentes*. Cum vero characteres magis prominentes indicare non liceat, pro tempore ut subspeciem (*E. alpinum*) modo proposui, donec essentialis differentia reperiatur. Idem omnino videtur *E. durum Pressl ex Reich.* f. 4387, quod ad *E. virgatum* a Kochio ducitur et cujus definitio in multa exemplaria optime quadrat.

XXVII. DRABA. Species Scandinaviae cum plurr. varr. in *K. Vet. Ac. Handl.* 1839 et in *Linnaea* c. a. plene exposuit Cel. Lindblom. Conferendae novae ipsius observationes in *Bot. Not.* 1841. *p.* 217 et sqq. Sectiones *Chrysodrabae* et *Leucodrabae* Dec. omni jure jungendas esse docuit.

4 a. D. ALPINA (Linn. Spec. Pl. 896) scapo nudo pubescente, foliis rosulato-expansis oblongo-lanceolatis integerrimis sparse bifurco-pilosis simpliciterque ciliatis, pedicellis pilosis, siliculis subovalibus, stylo brevi, stigmate capitellato. *Lindbl. ll. cc. Wahl. Lapp. t.* 173. *t. XI. f.* 4. *Sv. Bot. t.* 771. *Fl. Dan.* 56. Tam ad rupes sicciores, quam locis subuliginosis in alpibus Dovrensibus Norvegiae mediae et Lappon. Lulensis, Tornensis; in reliquis sporadice modo obvia. ♃. Jun. Jul. *Flores aurei* in hoc genere sat speciosi; raro expallentes. Siliculae typice glabrae, variant pubescentes et rarius nunc late ovatae acutae (Dr. oxycarpa *Smrf.*), nunc ovato-oblongae obtusae.

4 b. D. TRICHELLA (Fr. Nov. Mant. II. p. 40) *scapo* nudo *pedicellisque densissime crinitulis*, infimo subremoto folio diminuto saepe bracteato, foliis conglobato-rosulatis lingulato-lanceolatis margine praecipue ciliato-hispidis, *siliculis ovalibus* utrinque obtusis, stigmate stylo capitato immerso. *Lindbl.* ll. cc. *et in Bot. Not.* 1841 *p.* 217. In regione nivali alpium Saltdalensium Nordlandiae; in alpe Solvaag-tind detexit Cl. *Ångström.* ♃. Jun. Jul. Indumentum et siliculae prioris, sed flores conspicue minores albi. *Dr. corymbosae* Br. proxima.

6 b. D. NIVALIS (Liljebl. in N. Act. Ups. VI. t. 2. f. 2), *pube perbrevi stellata incana*, scapo nudo, foliis clausorosulatis oblongo-lingulatis, pedicellis patentibus, *siliculis oblongo-lanceolatis utrinque acutis* (glaberrimis), stylo brevissimo, stigmate capitellato. *Lindbl. ll. cc.* Dr. muricella. *Wahlnb. Lapp. p.* 174. *t. XI. f.* 2. *Sv. Bot. t.* 769. *Reich. Ic. VIII. f.* 1025. In summis alpium jugis, locis siccis lapidosis; quo propius arctoum, eo frequentior, hinc Lapponiae praecipue borealis, rarior in Dovre ibique tantum versus nives perennes. ♃. Jun. Jul. Flores semper albi. affinium minimi. Varietatem siliculis pubescentibus e Grönlandia describit Lindblom; aliamque morbosam siliculis ovatis.

9 D. WAHLENBERGII. Nomen a Wahlenbergio ipso rejectum et ex ingenui vivi et meis principiis praeferendum nomen, ut ab ipsa planta sumtum, aptius et antiquius: Dr. lactea. *Adams.*

8 b. D. RUPESTRIS (Lindbl. Bot. Not. 1841. p. 220) caule (1—3) paucifolio, foliis lanceolatis stellato-pilosis, radicalibus rosulatis, pedicellis erecto-adpressis, siliculis oblongis lanceolatisve subacutis, stylo brevi, stigmate subpunctiformi. Dr. pyrenaica. *Fl. Dan. t.* 143 (mala) Dr. hirta *Engl. Bot.* t. 1338. (pessima). D. hirtae var. vulgo. In regionibus alpinis et subalpinis Scandinaviae facile totius. ♃. Jun. Jul. Nunc scapigera, nunc elongata caule foliato, at tum laxa nec

stricta et gracilis ut sq. Flores sequentium conspicue minores, constanter (etiam exsiccati) albi. E. magno formarum numero, tamquam primariae, *D. lacteae* quoddammodo respondentes, ex Cel. Lindblom notandae;

— *laxa*, caudiculis stolonibusque laxis, rosulis patentibus, scapis floriferis plus minus flaccidis, siliculis sublanceolatis. Dr. laxa *Lindbl. in Linn* 1839. *p.* 526. Haec hebecarpa est *D. rupestris. Br.*

— *stricta*, caudiculis stolonibusque brevibus dense congestis, rosulis initio subclausis, scapis strictis, siliculis oblongo-ellipticis. Dr. scandinavica *Lindbl. l. c.* Dr. rupestris. *Ledeb. Fl. Alt. III. p.* 71. (forma siliculis stellato-pilosis.) D. hirta v. alpicola. *Wahl. Lapp. p.* 175 *t. XI. f.* 1.

— *glabrata*, caudiculis stolonibusve brevibus dense congestis, rosulis patentibus, foliis oblongis glabrescentibus, scapis unifoliis glabris. Ad Kallvillesjö in Dovre.

9 a D. HIRTA (Linn. Spec. p. 897) caule simplici subbifolio, *foliis* radicalibus patenti-rosulatis *lanceolatis integerrimis pilis simplicibus ciliatis*, caulinis oblongis dentatis, *racemo virgineo laxo subcernuo*, pedicellis siliculisque, lanceolatis acuminatis subobliquis, erectis glabris, stylo brevissimo, stigmate punctiformi. α. *Wahlnb. Lapp. p.* 175 *t. XI. f.* 3. *Sv. Bot. t.* 768. *Reich. Ic. VIII. f.* 1026—1028. D. hirta. *Lindbl.* l. c. inclusa sq. In rupibus siccis nemorosis Lapponiae borealis et praecipue Nordlandiae. ♃. sed in horto haud longaeva est. Jun. Jul. Est quasi elatior, strictior, magis regularis prioris status, gracilis tamen ut caulis apice, cum pedicellis et siliculis glaber, virgineus cernuus. Ob indumentum breve et parum densum herba viret. Petala prioris majora, alba, siccitate ochroleuca. — De synonymo Linnaeano multum disputari potest; at nisi huic cum Wahlenbergio et Britannis tribuamus, plena oritur confusio. Ad hanc evitandum necesse quoque fuit et hanc et sequentem seorsim proponere.

*D. HIRTA DOVRENSIS (H. N. VIII. n. 24) caule paucifolio ramoso foliisque oblongis dentatis *pube densa stellata canescentibus*, *racemo virgineo erecto densifloro*, pedicellis erecto-patulis *siliculisque* ovato-lanceolatis *stellato-pilosis*, *petalis calyce duplo longioribus*, stylo distincto stigmate subbilobo. Dr. hirta Dovrensis *Blytt. in litt. et H. Christ.* D. incana var.? *Sommerf.* D. incano-hirta. *Hartm. Sc.* 2. D. confusa. *Hartm. Sc. ed.* 3. non Ehrh. D. hirta β. hebecarpa. *Lindbl. l. c.* In alpibus Norvegiae mediae; in Dovrefjäll copiosissima. ♃. Jun. Ut synonyma indicant, inter proximas prorsus ambigit, hybrida tamen non est; dissentientibus adhuc Botanicis nostris, cui proxima sit, seorsim proposui, sed haec

in Hort. Christ. et *D. hirta* in H. Ups. absolute simillimae factae! Flores siccitate sulfurei. His quoque differt a D. confusa *Germ.* s. D. Thomasii *Koch.* Indumentum prorsus sequentis.

12 D. INCANA. Stylus brevissimus; stigma punctiforme. Ab hac per *D. Docrensem* et *hirtam* ad D. rupestem (omnes in subalpinis quoque obvias) series exstat tam contigua, ut numquam sectione naturali divelli possint; at a reliquis nostris vere scapigeris et constanter alpinis sat conspicue differunt, tam vegetatione, quam pedicellis arrectis, siliculis saepe tortis. — Inter hujus formas siliculis pubescentibus glabrisve nulla omnino ceterum differentia, at var. *contorta* Suec. insuper differt caule stricto, simplici vel apice tantum, nec a basi, ramoso, foliis densis vulgo lanceolato-elongatis, floribus minoribus, siliculis lanceolatis utrinque acutis et constanter glabris. E radice edit rosulas densas sessiles fere clauso-globosas, futuro anno floriferas. Quando *D. hirta* a D. rupestri distinguitur, constans sit hanc quoque separare.

11 b. D. NEMOROSA (Linn. Spec. I. p. 742) caule folioso, foliis subovatis sessilibus dentatis, pedicellis horizontaliter patentibus siliculas elliptico-oblongas duplo superantibus, *petalis emarginatis* (*luteis*), stigmate subsessili depresso. *Lindbl. l. c.* Variat siliquis pubescentibus: Dr. nemoralis. *Ehrh. Sv. Bot. t.* 768 et glabris: Dr. lutea. *Dec. Syst. II. p.* 351. Locis glareosis ruderatis Sueciae mediae orientalis ab Holmia ad Angermanniam passim, etiam in Norvegia ad Kongsberg et Finlandia; *lejocarpa* in Dalekarlia lecta. ⊙. Majo, Jun. In *D. murali* pedicelli conspicue breviores, petala integra alba.

XXVIII. COCHLEARIA. Cfr. de arcticis Nov. Mant. III. p. 64.

1. b. C. ARCTICA (Dec. Syst. Nat. II. p. 367) foliis radicalibus petiolatis ovatis, caulinis suboblongis sessilibus subunidentatis, racemis elongatis laxis, pedicellis *siliqua oblonga laevi utrinque acuta* longioribus. *Fr. Mant. III. p.* 64. Ad littora maris Finmarkiae, ad Tromsjö lectam possideo. Valde affinis *C. officinali* foliis caulinis basi cordata amplexicaulibus, siliculis obtusis, stylo brevi quodammodo diversae. *C. lenensis* Dec. forsan eadem.

4 C. ANGLICA L. forma Germanica grandiflora Daniae magis propria est, ad Alten Finmarkiae simillimam tamen detexit Blytt. Sed ad mare glaciale et album frequenter occurrit alia parviflora siliculis minus venosoreticulatis, quae *C. anglica* Scriptorum Fl. Arct. (H. N. X.) — *Cochl. fenestratam* ab his diversam non censeo.

XXIX. ARMORACIA. Ad Nasturtia retuli, cum impossibile sit Nasturtia siliculosa a siliquosis genere movere. *Mant. III. p.* 65. Cfr. tamen *Koch. Syn. add.*

XXXI. CAMELINA. Aut tres hujus generis species cum Patribus distinguam, aut omnes cum Linnaeo jungam. Cfr. Nov. Mant. III. p. 66-73. Hoc sensu tantum nomen Linnaeanum servari potest, Cranzius quoque sub hoc nomine omnes complectitur. *C. sativa* Rec. saltim non est planta in Suecia sativa, nec sativa Patrum, quia *C. silvestris* semina minora parcius oleum effundunt.

1. C. SILVESTRIS (Fr. Nov. 1 et Mant. III. p. 68), siliculis elongato-pyriformibus rigidis *punctato-scabris compresso-ancipitibus, apice integris, stylo elongato persistente rigido rostratis*, pedicellis fructiferis erectis strictis, foliis basi sagittata sessilibus lanceolatis subenervibus cauleque simplici strictis. Myagr. sativum silvestre. *Linn.* C. sativa α. *Koch l. c. Reich. Crucif.* 4292. In campis arenosis, ruderatis glareosis, taeniis maritimis, nec non inter segetes biennes. ♃ Majo Vulgo hirtoscabra, sed variat utique glabra. Solo macro fit

— *microcarpa*, simplex, strigosohirsuta, siliculis duplo minoribus. C. microcarpa. *Dec. Syst. II. p.* 517. *Reich. Crucif. f.* 4293.

2. C. FOETIDA (Fr. Mant. III. p. 70) siliculis obovato-subglobosis inflatis punctatis *ob valvulas maxime convexas aequalibus, apice retusis stylo brevi terminatis,* inferioribus demum in pedicellis laxis subpendulis, foliis elongatis infimis subdentatis versus basin sagittatam attenuatis, caule virgato-ramoso. M. sativum. *Linn. Suec. n.* 564, ubi Suecicam a Germanorum diversam monet. *Fl. Dan. t.* 1038 optime. Cochlearia foetida. *Schkuhr Handb.* 2. *p.* 1805. Inter Linum ubique vel locis lutosis ad fossas, ripas raro. ☉. Jul. Aug. Praecedente laxior, laevis, laete virens; in Suecia media folia semper integra et integerrima vidi, sed in australibus provinciis etiam pinnatifida. C. pinnatifida *Horn.*. Valvula inflatae *juniores* valde *flaccidae* sunt, demum vero induratae.

3. C. DENTATA (Hornem. Fl. Dan. t. 1824) siliculis obovatis rigidis *laevibus ob valvulas maxime convexas subaequalibus tenue marginatis, apice integris* stylo mediocri *terminatis*, pedicellis patulis, foliis a basi sagittata attenuatis integris sinuatove-dentatis nervosis, caule apice paniculato-ramoso. *Fr. Nov. Mant. III. p.* 72. *Reich. Crucif.* 4294. Myagrum sativum. *Bauh. et Veter.* — Varietas foliis integerrimis. C. macrocarpa. *Wierzb. in Reich. Crucif. f.* 4294. *b.* Colitur in provinciis meridionalibus propter semina oleosa et

inter segetes annuas passim quasi sponte. ⊙. Jun. Jul. Praecedente rigidior, magis ramosa; valvulae in omni aetate rigidae, ventricosae, at non inflatae.

LI. RAPHANUS 2 RAPHANISTRUM L. — *maritimus*, foliis interrupte lyratis, radice turgida carnosa. Raph. maritimus. Smith. *Engl. Bot. t. 1643.* Ad mare occidentale ad Varberg rarius legi, et in agris litoralibus formam inter hunc et vulgarem prorsus mediam. Nullum dubium est hunc ad *R. Raphanistrum* accedere, ut Br. Rapa ad *Br. campestrem.* Sapor radicis exacte *R. sativi!*

VIOLARIAE. Koch. syn. p. 88. — Supra p. 34.

I. VIOLA. 3 EPIPSILA. Ledeb. Synonymis adde: Viola palustris. *Wahl. Lapp. p. 212.* In Lapponia haec ubique occurrit et V. palustrem fere excludit. Per omnem Sueciam mediam et Gothiam magis montosam aeque fere frequens ac *V. palustris*, optime tamen diversa. *V. uliginosa*, unico loco, nempe ad fluvium Dahlelfven in Suecia occurrit, nec in Lapponia nec in Gothia: ex his facile intelligitur, quam incaute haec et sq. pro hybridis a *V. palustri* et *V. uliginosa* sumuntur. V. epipsila Selandica et Christianensis, sec. Blytt, ad sequentem spectare videntur.

3* V. SCANICA (Fr. Mant. III. p. 117) acaulis, folio inferiori reniformi, secundo *cordato-subrotundo*, sepalis lateralibus acutiusculis, stipulis lanceolatis *petiolo alato*, pedunculis fructiferis erectis, capsula nutante. V. fennica. *Nyl. Spic. I. p. 28.* ex ipso. In pratis humidis umbrosis Scaniae (ad Börringe copiose *v. Düben*), Ostrobothnia (*Nylander*) etc. ♃. Majo. Alia admodum conspicua et suis locis constans inter V. palustrem et uliginosam planta intermedia, cujus, in vivo a me non observatae, vera affinitas nondum satis explorata. Lustranti vero mihi Ill. Reichenbachii Fl. Germ. Exs. obviam venit specimen *V. uliginosae* quod V. scanicam magis, quam V. uliginosam nostram refert, indeque orta est subspicio V. Scanicam ad V. uliginosam ita accedere, ut V. palustris ad V. epipsilam, quod stipularum forma, petiolis, floribus aeque speciosis, "stigmate oblique truncato", calcare magno saccato, prorsus concoloris V. uliginosae indicatur. A V. epipsila illius floribus reliquisque notis facile dignoscitur, ut etiam foliorum forma, nam in V. epipsila folium secundum semper *cordato-ovatum* apicem versus aequaliter attenuatum instar *V. caninae*: in V. epipsila autem *cordato-subrotundum* cum brevi acumine instar *V. silvaticae.* Flores V. epipsilae duplo minores saturate violacei, *V. Scanicae* lilacini. Viola palustri-

uliginosa *Wimm. Fl. v. Schles.* 2. p. 6. sed a Scania V. uliginosa vera circiter centum milliaria germanica distat.

10. b. V. UMBROSA (Fr. Nov. p. 271. (1828) Mant. I. p. 16) acaulis, stolonibus destituta, foliis exacte cordatis remote adpresseque serratis pilosellis, stipulis interioribus linearibus integerrimis, sepalis lanceolatis acuminatis, calcare scrotiformi appendicibus triplo longiori, pedunculis fructiferis prostratis. *Reich. Ic. Viol. f.* 4492 at a me primo distincta. *Nyl. Spic. I. p.* 27. V. borealis. *Weinm. in Linn. X. p.* 66. V. salina. *Turczan.* V. umbrosa et imberbis *Ledeb. Fl. Ross. I. p.* 245, 248. Locis umbrosis humidis, ad rivulos Norvegiae orientalis late dispersa; Sueciae borealis (Dalarne, Medelpad, Ångermanland) et Finlandiae. ♃. Majo. Vix ulli praecedentium rite affinis (*Laestadius* ad V. palustrem, *Wahlenb.* ad V. hirtam retulerunt), potius flore et fructu V. caninis affinis. Haec prima est *V. umbrosa*, nomen alienis dein impositum: Cfr. *Koch.*

12. V. SILVESTRIS. E lexicali correctione, ut fingo, necessaria diximus *V. silvaticam.* Ceterum *V. silvestris* Lam. est titulus prorsus ambiguus, haud definitam speciem, sed totam V. caninae stirpem spectans. — Spec. n. 11-19 expositio apud Kochium harum specierum in Scandinavia geographica distributione mire confirmatur.

POLYGALEAE. Koch. syn. p. 98. Supra p. 52.

1. POLYGALA. Difficile nobis genus, cujus tres modo recipere potui species definitas: *P. vulgarem*, *P. comosam* (infauste sane ad alias relatam) et *P. uliginosam.* Sapor in omnibus variat; locis siccis amarus, uliginosis aquosus, fatuus; ita etiam caulium directio et florum, quem in omnibus praecipue fructiferis plus minus lateralem vidi. *P. depressam* (per omnem Scandinaviam occidentalem ad Nordlandiam Lapponicam obviam) copiose legi, at nec ullos limites neque characteres fidos a *P. vulgari* reperire potui; vegetatio sarmentosa a statione pendet locisque turfosis siccioribus directe abit in *P. amaram* Reich. et Fr. Nov., quae ex omni parte convenit cum *P. calcarea*, solo calcareo priva dicta. Longe insignior et facile distinguenda est *P. oxyptera*, saltim nostra *floribus* praecedentis *semper duplo minoribus.*

7. P. AMARA α-γ, e convallibus alpium Europae mediae, nullibi in Scandinavia obviam veniunt, licet δ. s. *P. uliginosa* Reich. a Daniae et Scaniae campis ad Jemtlandiam alpestrem. solo admodum vario, ubique constans legatur. Hinc in Fl. Scand. sub hoc nomine non potest non proponi: distinctioni quoque favet Kochius ipse in *Reg. Bot. Zeit.* 1830; forsan

ob *characterum*, olim detegendorum, adhuc defectum, cum ipsa planta constans appareat, *P. amarae* L. subjungitur.

SILENACEAE. Koch. syn. p. 101. — Supra p. 23.

Generum dianome, polita ab *A. Braun Fenzl.* aliisque, e quibus prisca nostra studia prorsus confirmata et aucta vidimus, tam clara et naturae congrua est, ut non potuerimus non hanc sequi, eandemque ubique receptam fore auguramur.

VI. SILENE. (S. noctiflora L. nobis Melandryum.)

12 b. S. maritima (With. Bot. arr. p. 414) floribus terminalibus solitariis paucisve, *calycibus* ovatis inflatisque *reticulato-venosis*, dentibus ovatis obtusiusculis, petalorum *corona manifesta*, laciniis obovatis, *caudiculis sterilibus procurrentibus persistentibus* in alis foliorum spathulato-lanceolatorum demum folioloso-fasciculiferis. Cucub. Behen β. *L. Spec. p.* 591. Cfr. Nov. Mant. III. p. 188. In scopulis marinis a Dania occidentali et Kullaberg Scaniae ad mare album copiose. Tota glauca, vegetatione a *S. inflata* diversissima. Styli vulgo 3. Semina juniora violacea, in S. inflata alba.

VII. b. WAHLBERGELLA. (Fr. Bot. Not. p. 1843. p. 143.) Capsula unilocularis, dentibus 10 *per paria connatis* dehiscens, carpophoro stipitata. Semina angulosa, limbo (in nostris saltim) tumido corrugato marginata. Reliqua *Lychnidis* (Melandryi) diversae capsulae dentibus simplicibus et aequaliter distantibus. Quoad capsulam differt ut Malachium a Stellaria; quoad semina ut Lepigonum ab Alsine. *Omnes species arcticae, micranthae, caulibus simplicibus.*

1. W. apetala (Linn. Spec. p. 626 sub Lychnide), foliis lineari-lanceolatis, *flore* solitario *virgineo nutante*, calyce inflato petala aequante, *seminibus reniformibus*, margine inflato reticulato limbatis. *Linn. Lapp. t.* 12. *f.* 1. *Wahl. Lapp. t.* 7. *Fl. Dan. t.* 805. Locis herbosis in alpibus centralibus Norvegiae, Lapponiae Lulensis copiose; raro per Tornensem, Nordlandiam et Finmarkiam. ♃. Jul. Aug. Planta florens pusilla laxa; dein erigitur et rigescit; calyce fructifero arrecto, valde inflato ob capsulam eximie ventricosam.

2. W. affinis (I. Vahl., Nov. Mant. III. p. 36 sub Lychn.) foliis lanceolato-linearibus, *floribus* solitariis ternisve *virgineis erectis*, calyce oblongo petalis breviori, *seminibus obovato-angulosis* limbo tumido reticulato-corrugato. L. triflora *Fl. Dan. t.* 2170. Locis graminosis herbidis ad Alten Finmarkiae. ♃. Jul. Praecedente minor; fructifera elongata stricta, sed calyces prioris minus amplianiur. Proxima est *W. triflorae* Vahl. Fl. Dan. t. 2336, seminum margine vix limbato diversae.

ALSINACEAE. Koch p. 117. Supra p. 56.

II. SAGINA. Cnfr. Fr. Nov. Mant. III. p. 31.

6 b. S. NIVALIS (Nov. Mant. l. c.), *caulibus* caespitosis, foliis subulatis mucronatis glabris, *pedunculis brevibus strictis*, sepalis 5 ovatis obtusis membranaceo-marginatis petala integra vix aequantibus. *Lindbl. Bot. Not.* 1845. *p.* 66. Spergul. saginoides β. nivalis *Lindbl in Phys. Sällsk. Tidskr.* 1838. p. 128. nec ex icone obstat Aren. caespitosa. *I. Vahl. in Fl. Dan. t.* 2289. Locis humidis alpium Dovrensium: hactenus ad Sprenbacken in Knudshö supra Kongsvold et ad Drivelven a Cel. Lindblom lecta. ♃. Aug. Sept. Ad S. saxatilem, optime monente inventore, exacte se habet ut S. stricta ad S. procumbentem. Exstat alia forma congesta, erecta; alia laxa, caulibus elongatis procumbentibus. Petala integra: in S. saxatili leviter emarginata.

IV. LEPIGONUM. Cfr. Nov. Mant. III. p. 32. Omnes nostrae hujus generis formae sistunt seriem contiguam, cum soli salsitudine magis pinguescentem. Attamen singula adeo constans, ut omnes distinguere utile videatur, ne diversae confundantur. Hoc loco necesse est Suecorum synonyma cum Germanorum componere:

3. L. MEDIUM. Secundum Reichenb. Fl. Germ. Exs. n. 477, est L. medium *Fr. Mant. l. c.* non vero *Wahlb. Fl. Goth.*, quod ad sequens pertinet — et prorsus excludenda est Ar. rubra β. marina L. Hanc enim Sueci (et, ni fallor, etiam Britanni, Smithius enim in utraque *A. marinae* varietate petit semina alata) vix quidem ut varietatem a L. rubro distinxerunt. In plateis et haris Upsaliensibus copiosissima est. Wahlbergio hoc L. medium est = L. rubrum β. Fl. Goth. p. 46. Semina vulgo omnia aptera.

4 L. MARGINATUM. Si Kochiana planta eadem sit ac Reich. Fl. Germ. exs. n. 478, ad hanc citanda: *Fl. Dan. t.* 470, Lep. medium. *Wahlb. Goth. p.* 46. Lep. salinum *Fr. Nov. mant.* l. c. — et haec quoque, meo sensu, Arenaria marina α. *Smith*, ob semina alata, ala sq. angustiori. Licet hoc et prius, habitu simillima, in litore marino sint vulgatiora, in alia loca simul frequenter adscendunt; sequens autem est absolute marinum, ne dicam oceanicum.

4 b. L. MARINUM (Wahl. Goth. p. 47) foliis linearibus carnosis muticis, caulibus e radice fusiformi adscendentibus apice racemosis, pedunculis defloratis refractis apice incrassatis, *sepalis ovatis capsula turgida tereti duplo brevioribus*, seminibus subrotundis, omnibus late membranaceo-alatis. A. ru-

bra β. marina. *Linn.* e radice perenni etc., nec non locis specialissimis, clare haec. *Wahlnb. Suec.* p. 505. *Sv. Bot. t.* 745 et, ni fallor, A. marina β. *Smith.* Locis limosis, maxime salsis, tantum ad extimas maris occidentalis oras. ♃. Jul. Sept. Hoc habitu magis diversum quam praecedentes; quarum sistit maxime salsam et obesam formam. — L. marginatum differt radice tenuiori annua, foliis tenuioribus et longioribus, caulibus magis ramosis et prostratis, pedicellis subaequalibus, floribus duplo minoribus praecipue vero *capsula subtrigona calycem paulo modo superante*, ala seminum angustiori. Antecedentes vero omnes e soli salsitudine aucta pendere facile est profiteri, difficile vero explorare, cum omnes in litore viderim.

V. HALIANTHUS. Qualis *H. peploides* in zona arctica (habeo e *Finmarkia* a Lund lectum, e Sibiria et America boreali) nascitur et saepe a littore marino remotus, peculiarem facile crederes speciem. Interea, fide Fenzlii, huic subjungatur:

*H. OBLONGIFOLIUS, caule simplici erecto flaccido apice dichotomo, foliis omnibus conformibus lanceolatis acutis, sepalis lanceolatis mucrone cuspidatis. Honkenya. *Torr. et Gray Fl. N. Am.* 1. *p.* 176. Vulgari elatior.

13 ALSINE (*A. viscosam* sub hoc nomine proposui, cum in Scandinavia nulla adsit *A. tenuifolia*, cujus varietas censetur.)

8 b. A. RUBELLA. (Wahlnb. Lapp. p. 128. t. 6) foliis *lanceolato-subulatis muticis trinerviis* bisulcis, caulibus caespitosis adscendentibus subnudis apice glanduloso-pilosis 1-2-floris, *pedunculis calyce longioribus*, sepalis oblongo-lanceolatis acuminatis trinervibus, *petalis calyce brevioribus* ovatis breviter unguiculatis, *seminibus rugulosis*. Formam hujus vegetiorem sistunt Aren. Giesekii *Fl. Dan. t.* 1518 et A. hirta. *Fl. Dan. t.* 1646. *Cfr. Lindbl. Phys. Sällsk. Tidskr.* 1838. *p.* 311; frigidiorem, floribus vix expansis, planta *Wahlnb. l. c.* et *Sv. Bot. t.* 761. In alpibus Norvegiae centralibus, ut circa Kongsvold in Dovre, et in Finmarkia orientali; forma frigidior in alpe Lyngentind et ad lacum Tornensem. ♃. Jul. Aug. Petala alba, rarius rubella. Secundum Cel. Fenzl. forma arctica A. *vernae*, cujus vero semina granulata et habitus alienus. In Cel. Kochii Tasch. Deutschl. Fl. p. 83 jungitur cum *A. sedoide*, quae vero longius distat: caules dense foliosi et flores brevissime pedunculati.

VII. MÖHRINGIA. (A Bot. Scand. Arenariis subjungitur.)

6 b. M. LATERIFLORA (Linn. Spec. p. 603 sub Aren.) foliis sessilibus ellipticis obtusis subtrinervibus, caule basi ramoso diffuso, ramis floriferis erectis, pedunculo *alari* elongato bi-multifloro, petalis calyce duplo longioribus. *Wahlnb. Fl. Suec. ed.* 2. *p.* 294. *Nyl. Sp. I. p.* 9. Locis graminosis Lapponiae Rossicae, multis locis (Kandalax, Kipinä etc.) rarior in Lapponia Kemensi, ad Juujärvi juxta flumen Kemense, et Finmarkia orientali ad Klosterelv. ♃. Jul. Aug. Flores speciosi. Habitus ab Arenariis ob inflorescentiam sat diversus.

IX. ARENARIA. (A. trinervia L. Kochio Möhring.)

2 b. A. GOTHICA (Fr. Mant. II. p. 33) foliis ovatis basi attenuata sessilibus abrupte acuminatis *alis nudis, caudiculis nullis*, caule basi ramoso, ramis erectis simplicibus 2-3-floris, *sepalis* ovato-lanceolatis *carinatis corolla capsulaque ovata brevioribus.* A. ciliata. *Bot. Suec.* Cfr. Koch. l. c. In petris calcareis Westrogothiae (in Kinnekulle copiose), inque Gottlandia lecta. ⊙ Jun. Jul. — Herba A. serpyllifoliae magisque fugax, at flores fere A. ciliatae. Capsula apice constricta, dentibus revolutis dehiscens. Qui hanc et *veram* A. ciliatam cultas simul vidit, cum hac numquam confundet.

3 A. CILIATA. L. Nobis rarissima (Finmarkiae paucis locis obvia; in alpe Kipinä Lapp. Rossicae copiosa) hinc vulgo in *A. gothica* vel *A. norvegica* qaeritur. Ab illa notis datis mox dignoscitur et ipsa vegetatione diversissima: radix multiceps, sursum in plurimos ramos divisa, innumeros enitentes caudiculos steriles caulesque ramosos, in densissimos, latissime diffusos, saepe pedales caespites stipatos. Ipsi caules quoque perennant, indeque basi emarcidi, foliis annorum praeteritorum imbricati; in vegetorum alis gemmulas exserentes, rudimenta ramulorum futuri anni. Cfr. Mant. II. p. 34, ubi subjungitur sq.

*A. NORVEGICA (Gunn. Norv. n. 1100. t. 9) foliis sessilibus lingulatis obtusis glabris imbricatis, siccitate corrugatis, caulibus *e radice simplici* ramosissimis humifusis, *sepalis ovatis obsolete trinervibus* corolla capsulaque oblonga brevioribus. *Fl. Dan. t.* 1269. *Engl. Bot. t.* 2852. A. ciliata. *Smrf. Suppl. Lapp. p.* 21. — A. humifusa. *Whlnb. Lapp. p.* 129. var. frigidissima, flore sessili. In alpibus Norvegiae borealis et Nordlandiae passim; in Lappon. Lulensi tantum in alpe Lilltokin lecta var. humifusa. Species videtur distincta, sensu Botan. Britannicorum omniumque Exterorum, nam peculiari facie semper recedit nullosque offert genuinos transitus (plures centurias speciminum vidi), at donec cultura comprobata priori subjunxi. Capsula oblonga, haud angustata, denti-

bus rectis dehiscens. Radice tenui, fibrosa (ex Smrf. annua?) ab A. ciliata insigniter differt.

XI. STELLARIA. Petala 5, bipartita. Capsula apice valvatim dehiscens, valvis stylorum numero duplis. — In hoc et Cerastii genere limitando nullam rationem habere potui stylorum numero; in omnibus arcticis speciebus hic varius, vulgo quaternarius (unde genus Spergulastrum), in S. alpestri saepius quinarius. Etiam in *Stell. graminea* etc. stylorum numerus variat.

Sectiones nostrae cum Cel. Fenzlii conveniunt, at Larbreas a reliquis St gramineis (omnes, s. n. 7—11 Kochii, Linnaeo Stell. graminea, nobisque Astrochloe) sejungi vetant species arcticae, in quibus limites prorsus obliterantur. Exinde distinxi species vulgatas, *seminibus corrugatis* ab arcticis seminibus *laevibus* (i. e. non corrugatis, quamquam subinde excavato-punctulatis).

8. S. GRAMINEA* *juncea*, gracilis, stricta, pauciflora, foliis lanceolatis basi aequalibus nudis, pedunculis alaribus terminalibusque nudis, ramulis superioribus saepe elongatis floriferis. In Lapponia Tornensi. Inter multos hujus speciei lusus haec maxime insignis, folia paene Stell. borealis, flores S. humifusae.

9 S. FRIESEANA s. longifolia. *Fries* Nov. Seminibus non corrugatis, modo punctulatis, sequentibus (nec S. gramineae) proxima et seriem cum reliquis arcticis contiguam sistens, licet haec per omnem Scandinaviam continentalem montosam vulgaris sit et in alpes Germaniae transeat. A sq simillima dignoscitur caule laxo scabro, foliis basi attenuatis elongatisque, panicula pseudolaterali pedunculata laxa, pedicellis fructiferis refractis, sepalis corollam vix aequantibus, siccitate trinervibus capsulaque oblonga brevioribus, seminibus rotundatis laevibus (sub lente modo punctulatis) nec daedaleo-rugosis *St. gramineae.* Ceterum fragilis, maxime varia: elongata laxa; congesta etc. Huic styli normaliter tres, sed variant 4.

9 b. S. ALPESTRIS (Fr. Mant. III. p. 194) caule tetragono stricto laevi, foliis lanceolato-linearibus basi aequalibus ciliatis, panicula terminali sessili stricta scarioso-bracteata, pedicellis axillaribus fructiferis patentibus incurvis, sepalis subenervibus ovato-lanceolatis petala fugacia superantibus, capsulam ovatam aequantibus, seminibus oblongis laevibus. St. uliginosae var. *Whlnb. Lapp.*, *Laestad.* St. alpestris β. *Mant. I. p* 10. In regionibus maxime borealibus v. c. Lapponiae Tornensis suis locis copiosa, per australiores Lapponiae, Sueciae Norvegiaeve

alpes, ubi sequens copiosa, numquam lecta. Hanc sequenti subsumsi, nam de differentia haud certus sum, sed seorsim h. l. proponere debui, cum characteres hactenus constantes, suis regionibus priva, et facies prorsus prioris, cum qua a scriptoribus Fl. Am. borealis! et, ni fallor, Fenzlio, accuratissimo harum stirpium scrutatore, jungitur. Styli hujus normaliter 4.

9 c. S. BOREALIS (Bigelow ex Hook. Fl. Bor. Am. I. p. 49) caule subtetragono flaccido laevi apice comoso, foliis exacte lanceolatis basi ciliatis, *pedunculis axillaribus alaribusque sparsis unifloris ebracteatis, fructiferis erectis*, sepalis enervibus lanceolatis petalis fugacibus duplo longioribus, capsula oblonga brevioribus, seminibus oblongis laevibus nitidis. *Fenzl. in Ledeb. Ross. p.* 381. *Nov. Mant. III. p* 195. *Fl. Dan. t.* 2355. St. uliginosa. *Wahl. Lapp. p.* 124. (Vera St. uliginosa in arctica zona vix nascitur) — v. alpestris. *Hartm. in Vet. Ac. Handl.* 1818. Locis udis per alpes Scandinaviae fere totius. ♃. Jul. Aug. Est in arctica zona vulgatissima et in hac serie St. uliginosae analoga, at non affinis. Styli normaliter 3. Cum praeced. primo distinxi sub *St. alpestris* nomine, sed Bigelowianum antiquius recipere debui. Duplex var. notabilis:

— *corollina*, (Fenzl! l. c.) elatior, apice dichotomo-ramosissima, foliis lanceolatis elongatis, pedunculis simul axillaribus. St. brachypetala. *Bong. Sitch.* S. mollis. *Wirz. Cas.* Haec in Norvegia media, austr.

— *calycantha* (Fenzl.! l. c.)minor, simplicior, foliis subovato-lanceolatis floribus subapetalis. Spergulastr. lanceolat. *Michaux.* Stellaria calycantha. *Bong. l. c.* Haec in alpibus Sueciae borealis, Lapponiae.

11. b. S. HUMIFUSA (Rottb. in Act. Hafn. X. p. 447. t. 4. f. 14.) caulibus caespitosis ramosis procurrentibus radicantibus, ramis floriferis simplicibus sparsifloris apice comosis, foliis ovato-lanceolatis glaberrimis, in alis demum fasciculiferis, pedunculis alaribus unifloris, sepalis ovato-lanceolatis obtusiusculis capsulam ovoideam vix aequantibus, corolla duplo brevioribus, seminibus laevibus. *Fl. Dan. t.* 978. *Sommerf. Suppl. p.* 20. *Wahl. Suec.* n. 494. Ad littora maris Finmarkiae utriusque et Lapponiae Rossicae. ♃. Jul. Aug. Est cum Silene inflata socia insignis analogia, totius vegetationis ratione, caulibus procurrentibus persistentibus, foliis inferioribus emarcidis prioris anni, superioribus cum fasciculis, futuri anni rudimentis, floribus paucis speciosis. Caules, *ut in S. crassifolia viva*, teretes, flore uno alterove modo in medio cauliculi florentis, in forma vulgari prostrati purpurascentes. At insignis var. est:

— *oblongifolia* (Fenzl.) foliis oblongis tenuioribus, caulibus floriferis elongatis erectiusculis subferrugineis. Hanc in paludosis a mari remotis ad fluvium Tana detexit *N. Lund.*

XIV. CERASTIUM. Petala 5, apice retusa emarginatave. Capsula integra (saepe corniculata) apice dentibus duplo stylorum numero dehiscens. Non potui non huc referre Stellarias e sectione Dichodontis, cum St. Cerastoides in alpibus nostris haud raro 4, 5-gyna variet.

4 b. C. TETRANDRUM (Curt. Lond.). Hanc ceterasque nostras species ita clare proposuit Cel. Koch, ut nil addem, modo observans differentiam *C. tetrandri* a C. glutinoso mihi adhuc dubiam videri meque specimina *C. semidecandri* tetramera legisse. Ad extimas oras maris occidentalis, ut in insulis Manoe et Lyst Slesvigiae (*v. Noltei* angustior, tenuifolia Fl. Dan. l. c.) et insula Styrsö extra Gothoburgum (v. Curtisii latior, latifolia); singulae prorsus analogas habemus C. glutinosi.

Servavi nomina Linnaeana C. vulgati et viscosi L., ut in Succia semper interpretata fuerunt, cum a *Curtisio primo*, indeque illi debetur auctoritas, eisdem sub titulis clare exposita sint, et eodem sensu tam a Cerastiorum (Gordron) quam Alsinacearum (Fenzl.) monographis serventur. Nec *pro mea parte* deserere potui nomen *C. strigosi*, cum, me ante triginta annos distinguente, *C. brachypetalum* erat titulus vagus — et hoc, ut etiam C. barbatuli α. = C. rotundifolium Kit.!, primitus ad C. viscosum eglandulosum pertinere mihi sit persuasum.

ELATINEAE. Koch. syn. p. 137. Supra p. 59.

I. ELATINE. Praeter omnes species Germanicas, nobis

*E. ORTHOSPERMA (Düben in Bot. Not. 1839. p. 88.) foliis oppositis petiolo brevioribus, foliis sessilibus tetrapetalis octandris, capsula oblonga, seminibus leviter cygneo-arcuatis. Per totam facile regionem E. Hydropiperi L. immixtum, quod nomen aequo jure huic tribuatur; in Slesvigia, ex Paulsen, tantum haec. Nec in vegetatione, neque in tota herba adest ne levissima quidem ab altera differentia, ut florentes neutiquam discernere liceat, licet in seminum forma perspicua adsit differentia. Equidem vero, non e characteribus species distinguens, pro autonoma specie haud considero, fingens nempe semina E Hydropiperis necesse magis curvari, cum in hujus capsula depressa minus libere extendantur.

Inter MALVACEAS Koch. p. 141. aliud singulare exemplum fallaciae characterum sistit M. MOSCHATA? *inodora*. Omnes externi characteres sunt *M. moschatae*, equidem vero plene convictus sum eandem esse ipsissimam *M. Alceam*, cha-

19

racteribus *M. moschatae* personatam; modo notiones abstrusas, nulla objecta concreta constanter definire licet. Exinde facile patet vanitas specierum e characteribus limitatarum.

TILIACEAE. Koch. p. 144. Supra p. 52.

1. TILIA. Quae apud nos nascitur *T. intermedia* evidenter T. grandiflorae magis, quam T. parviflorae affinis, illiusque forsan status glabratus. Definitio sequitur.

1 b. T. VULGARIS (Hayn. Arz. Gew. 3. t. 47) foliis oblique subrotundo-cordatis acuminatis *utrinque glabris subtus pallidis* inque venarum axillis barbatis, bractea basi longe acuminata in pedunculum ancipitem decurrente, corymbum multiflorum vix aequante, capsula coriacea aequali ovali laevi leproso-villosa, stigmatis radiis incurvis. *Nov. Mant. III. p.* 199. T. europaea *Sv. Bot. t. 40 et Linn.* pr. p. Ad pagos et urbes passim. Folia iis *T. grandifoliae* vix minora; sed alia T. intermedia, v. c. in Blekingia, nascitur, quae foliis subtus glaucescentibus, stigmatis radiis divergentibus e. s. p. ad T. parvifoliam utique spectat. Hanc descripsisse videtur Cel. *Koch.* Bracteae hujus in pedunculo eodem modo ac in nostra T. intermedia attenuato-decurrunt.

PAPILIONACEAE. Koch. p. 163. Supra p. 46.

(Detectis jam *Oxytropi lapponica*, *Astragalo Oroboidi*, *Vicia Orobo* etc. in Germania ex vasta hac familia, septentrionem versus decrescente, nil fere privum habet Flora Scandinaviae)

VII. ONONIS. Nomenclatura a nostra recedit:

1. O. SPINOSA. Priscum et definitum Kochianum nomen, *O. campestris*, recepimus, quia vulgatissima *O. spinosa* L. et omn. Bot. Scand. ad sq. pertinet; haec vero iisdem prorsus ignota, prope Hafniam modo et in Scaniae unico loco nuper visa.

2. O. REPENS. Maxime vulgata et polymorpha species hujus generis in Scandinavia, nunc repens, nunc adscendens et omnino erecta — vulgo spinosa, sed saepe etiam inermis. Cum Linnaeus et Smithius, quorum O. spinosa h. l., hanc speciem primi accuratissime limitarunt, cum iisdem *O. arvensem* diximus. Hujus forma mitis O. hircinae simillima (flores axillares etiam gemini sunt!), at semper dignoscitur *ramis floriferis comosis*, qui in sq. ad apicem usque floriferi. Reliquae omnes notae variabiles.

3. O. HIRCINA. Hanc, quae O. arvensis *Retz.*, copiosissimam legi in provinciis meridionali-occidentalibus Gothiae. Est quidem Ononidi Linn. Suec. I. n. 622 subsumta, sed dein apud

Linnaeum prorsus periit et O. arvensis *Linn. Spec. et Syst. Nat.* omnino est prior mitis. A Recentioribus Scandinaviae Botanicis haec quidem O. arvensis dicitur, sed cum prioris forma adscendente et miti vulgo confunditur; hinc ubique receptum et clarum O. hircinae nomen cum Kochio praetulimus, O. spinosae (nimis fallacis) prorsus omittentes.

IX. MEDICAGO. Inter M. sativam et falcatam ambigit

1 *M SILVESTRIS. (Nov. Mant. III. p. 92), pedunculis racemosis, vexillo corollae oblongato *atroviridi-striato*, *leguminibus annularibus semicircularibusve*, caule farcto erectiusculo, sursum ramisque teretibus. M. falcata. *Engl Bot. t. 1016* et Auctt. plur. In pratis Sueciae et Gothiae orientalis rarius. Dubia stirps; at utrum M. sativae an M. falcatae subjungenda nesciam; hybrida autem minime est. Flores flavi aut virescenti-flavi, vexillo toto striato Legumina haud torta. Communis nostra suecica M. falcata differt racemis magis corymbosis, floribus vitellinis minoribus, vexillo ovato basi modo *badiostriato*, leguminibus leviter modo falcatis.

6 a. M. ORNITHOPODIOIDES (Linn. Spec. Pl. p. 1078. sub Trifolio) pedunculis subtrifloris, leguminibus falcatis compressis reticulato-rugosis pilosis, caule humifuso, foliolis obcordatis dentato-serratis. *Nov. Mant. III. p. 93* Trif. Ornithop. *Fl. Dan. t. 368. Engl. Bot t 1050* Trigonella. *Dec.* Tam in insulis Saxonum Sleswigiae (Sylt.) quam in scopulo Christiansör prope Bornholm, raro. ☉. Jul. Aug. Flores rubelli.

XI. MELILOTUS. Trifol. Melilotus officinalis *Linn. Suec.* et omn. Hort. Pharmac. in Suecia ad M. macrorhizam *Koch.* plene pertinet. M. officinalis *Koch* s. arvensis *Wallr* in Suecia recentiori aevo cum Trifolio sativo introducta et adhuc planta sporadica, licet multis locis sit lecta.

XXXIII. PISUM. Ex hoc genere ad Lathyros necesse transferatur *P. maritimum* Cfr. Nov. Mant. III. p. 90. — Singularis est *P. arvensis* apud nos ratio: In provinciis montosis occidentalibus Gothiae alibique haec planta numquam in agris seritur; sed inter Avenam etc. frequens est et agricolis infestum agrorum vitium, quod frustra exstirpare student, hinc jam a Linnaeo sumitur pro planta indigena.

Inter AMYGDALEAS K. s Drupaceas L. modo observandum *Prun. insititiam* omnem spontaneam habere fructus serotinos, Octobri, mediante gelu, primo maturescentes. Talis Herb. Norm. V. 30. In hortis vero aluntur variae varietates praecoces, quae vulgo cum *Pr. domestica* commutantur.

ROSACEAE. Koch. p. 230. Supra p. 42.

III. GEUM. Ante G. urbanum inseratur:

1. a. G. HISPIDUM (Fr. Hall., Nov. p. 165) hirtum, *foliis caulinis pinnatifidis*, carpellis pilosis, aristae articulo inferiori glabro, superiori triplo breviori clavato inferne hispido, calyce reflexo, petalis obovato-subrotundis (vix unguiculatis) breviori. *Reich. Ic. I. t. 3.* G. strictum *Ledeb. Ross. II. p. 22* quoad pl. saltim Petropolitanam etc. In maritimis Gothiae, praecipue orientalis, a Blekingia ad Sudermanniam, sed etiam locis a mari remotis, ut ad Järeda provinc. Calmariensis. *Arrhenius.* ♃. Jun. Jul. Tam a nostratibus, quam a proximo *G. stricto* (americano) Aiton. foliis caulinis pinnatifidis vel basi omnino pinnatisectis facile dignoscitur.

IV. RUBUS. Rubi, R. fruticoso olim subsumti, a Kochio singulatim non exponuntur; cum vero de vera specifica differentia plurimorum post amic. Arrhenii labores vix dubia supersint, omnium hoc loco addi synopsin haud forsan ingratum erit. — Accedunt insuper duae arcticae et herbaceae species, a Germania alienae.

§. 1. Fruticosi.
**caule sterili erecto, glabro, apice modo arcuato-nutante.*

1. R. IDAEUS. L Koch. Arrh. Mon. p. 11. addetur:
— *anomalus.* foliis simplicibus ternatisve subrotundis basi saepe cordata. Passim in frutetis Daniae, Gothiae occid., Norvegiae ad Christianiam. et Uplandia Sudermanniaque Sueciae mediae. — Variat quoque fructibus maturis luteo-pallidis, sapore acidulo.

2. R. SUBERECTUS (Anders. in Transact. Linn. Soc. XI. t. 16) caule erecto-arcuato *teretiusculo*, versus apicem obtusangulo aculeis raris rectis falcatisve munito, foliis quinatis pinnatisve planis utrinque viridibus, *panicula subfastigiata*, petalis obovatis, *fructibus atrosanguineis.* Arrh. Mon. p. 19. *Fl. Dan. t. 1992 Engl. Bot. 2572 Smith. E. Fl. II. p. 406.* R. corylifol silvaticus *Fr. Nov. 1817. p. 33.* R. fruticosus elegans. *Myrin.* R. fruticosus b. suberectus *Hartm. Sc. 3. p. 119.* Locis silvaticis a Selesvigia et Jutlandia interiori (h. l. cum R. rad. umbroso et fruticoso) usque ad Sueciam mediam, et Christiansand, Arendal etc. Norvegiae. Haec species in Gothiae et Sueciae merid. provinciis interioribus et montanis *sola* obviam venit, unde luculenter patet non hybriditate ortam, ut fingit Cel. G. F. Meyer. Flores albi.

3. R. FRUTICOSUS (Linn. Sp. p. 707) caule erecto-arcuato *quinquangulari canaliculato*, aculeis validis inaequalibus munito, foliis quinatis plicatis utrinque viridibus, *panicula subcorymbosa*, *petalis obovatis*, fructibus atris nitidis. *Arrh. Monogr. p. 23. et Suec. omn.* ejusque var. plicata. *Hartm. Sc. 3. p. 119.* R.

plicatus; *Weih. Rub. p. 15. t. I. Engl. Bot. Suppl. t. 2714.* (R. fastigiatus *Weih.* R. nitidus. *Smith. Engl. Fl. II. p. 40. varr.*) Ad saepes et silvarum margines regionum campestrium, Daniae et Gothiae fere totius, Norvegiae ad Christianiam, Maridal, Fredrikshall etc., copiosissimus inter nostrates, at non ut prior plagas interiores intrans, priusque versus septentrionem desistens. Hic a Linnaeo pro optimo suo *R. fruticoso* clare descriptus et ob *fructus sapidissimos* in acetariis officinalis, notissimus. Flores roselli. Folia ramorum florentium ternata, foliolis lateralibus rhombeo-ovatis.

4. R. AFFINIS (Weih! et Nees Rub. p. 22. t. 5) caule erecto-arcuato *quinquangulari sulcato*, aculeis validis subrectis armato, foliis quinatis planis utrinque viridibus, *thyrso elongato laxo, petalis ovalibus*, fructibus atris pituitosis. *Arrh. Monogr. p. 25.* In dumetis et nemoribus montosis Daniae, Gothiae, Norvegiae (ad Christiansand) inque Sudermannia Sueciae mediae. Praecedenti valde similis, sed inflorescentia, petalis (albis quoque) etc. facile distinctus, vulgusque hujus *fructus* ut *fatuos* rejicit. Folia ramorum florentium ima quinata, *fol. lateralibus basi angustatis.*

5 R. THYRSOIDEUS (Wimm ! Fl. Sil. II. p. 201) caule erecto-arcuato *rotundato-angulato sulcato*, aculeis rectis subfalcatis armato, foliis quinatis planis subtus villoso-tomentosis plerumque candicantibus, *thyrso elongato erecto aciculoso, petalis obovatis* longe unguiculatis. *Arrh. Monogr. p. 28.* R. fruticosus canus. *Whlnb. Suec. 2. p. 330* R. fruticosus. *Weihe. p. 24. t. 7.*. In montibus et collibus saxosis in Dania (Jutlandia ad Colding una cum R. fruticoso, suberecto, discolori, Radula, glanduloso et pruinoso *I. Lange*) Gothia ad utrumque mare, Norvegia ad Dröbak, Christiansand etc. Praecedentibus laxior. Flores pallide rosei. *Fructus* nudi, *atri*, sapidi, aciduli

***caule sterili decurvo.*

6. R. DISCOLOR (Weihe! et Nees Rub. p. 46. t. 20) *caule* sterili decurvo-sarmentoso *angulato strigoso-sericeo*, aculeis rectiusculis reduncisve munito, foliis turionum quinatis, *foliolis* anguste ovatis ellipticisve rugulosis *apice dilatatis et abrupte acuminatis* serrulatis, panicula decomposita corymbosa aculeis falcatis armata, petalis obovatis subretusis crenulatoque-ciliatis *Arrh. in Fr. Mant. III. p. 40.* R. fruticosus *Smith. Engl. Bot. t. 715.* R. vulgaris. b. *Arrh. Mon.* R. abruptus. *Lindl. Syn. p. 92.* In dumetis littoralibus Daniae passim (in Fyonia cum R. radula frequentissima species *Lange*) Scaniae (v. c. ad Helsingborg, Kullaberg) Norvegiaeque maxime australis praefect. Christiansand. Folia coriacea. Flores albi. Fructus atri.

*R. UMBROSUS (Weihe! et Nees Rub. p 58. t. 14.) caule sterili procumbente *patenter piloso e tereti angüloso*, ad angulos aculeis conicis rectis villosis armato, foliis quinatis, foliolis subovatis utrinque viridibus inaequaliter duplicato-incisoserratis, panicula simplici angustata, petalis oblongo-ovatis retusis. *Fl. Dan. t. 1163.* R. vulgaris. *Weih.* In dumetis et nemoribus raro, ut Jutlandiae interioris (I. Lange), Scaniae ad Kockenhus, Bahusiae ad Hesseröd. Flores albi. Folia prioris tenuiora. Videtur genuina species. Cfr. *Obs.* sub sequente.

7. R. RADULA (Weihe! et Nees Rub. l. c. t. 59) caule sterili arcuato *decurvo angulato piloso*, *glandulis sparsis et aciculis crebris*, *radulae instar*, *exasperato* aculeatoque, foliis turionum quinatis foliolis ovatis acuminatis grosse serratis, panicula elongata rara divaricata *tomentosa glandulosa*, *aciculis aculeisque* rectis *armata*, petalis obovatis venosis. *Arrh. in Fr. Mant. III. p. 41. Babingt. Man. Brit. p. 95.* In dumetis litoralibus et maritimis Daniae totius copiose; rarior in Gothia australi-occidentali, ut Blekingia ad Carlshamn, Ronneby; Scania ad Helsingborg, Bökebol in Kullaberg etc.; Bahusia in Koön ad Marstrand, nec non Norvegiae ad Arendal et Mandal. Flores ceteris majores, speciosi, primo dilute rosei, dein albidi. Fructus atri.

Obs. R. discolorem, umbrosum et Radulam, nondum vivos observatos eisdemque regionibus privos, in Ruborum Monographia sub *R. vulgari* conjunctos proposuit cel. *Arrhenius*. Postquam vero eosdem et diversis locis et promiscue nascentes comparare ipsi licuit, distinctissimos intellexit et in Nov. Mant. jam pridem distinxit. Eandem sententiam profitetur Cel. *Wimmer*, sollertissimus Ruborum Germanicorum hodiernus observator. Rubus umbrosus, ex hujus opusculi principio, plantas criticas, haud prius, quam speciminibus in H. N. distributis fixae sunt, recipere — hoc loco ut ulterius observandus quidem notatur; de illius vero autonomia vix ullum superest dubium. Etiam *R. Sprengelii*, infra notatus, ex horum stirpe est.

8. R. HORRIDUS (Arrh. Monogr. Rub. p. 37) caule *suberoso*, sterili flexuoso procumbente *obtusangulo hirsuto*, *aculeis crebis inaequalibus falcatis armato*, *foliis ternatis*, foliolis e basi oblique cordata subovatis inaequaliter acute serratis, ramis floriferis pedicellisque hirsutis glandulosisque, aciculis et aculeis crebris inaequalibus falcatis armatis, panicula composita divaricata, *sepalis villosis undique aculeatis*, petalis oblongis. R. horridus *Hartm. Scand. 2. p. 139* excl. syn. R. infestus. *Hartm. Sc. 3. p. 120* excl syn. In saxosis in taeniis maritimis Ostrogothiae hactenus tantum observatus, ut ad Ettersundet par. Rönö, in par. Jonsberg passim. Distinctissimus, raris-

simus; flores dilute rosei; *fructus parvi ex atro fusco-coerulescentes*, fatui s. sapore dulci pituitosi. In Germania nondum lectus est; *R. horridus* tam Schultz. et Spreng. (= nemorosi var.), quam Köhleri (= Schleicheri) ab hoc diversi. ut in Monogr. plene exposuit Arrhenius, nostrum primus tamquam novam speciem proponens.

9 R. GLANDULOSUS (Bellard. App. in Fl. Ped. p. 24) caule *suberoso* sterili *procumbente tereti*, *aculeis parvis crebris* rectis reflexis, *aciculis pilisque glanduliferis obsito*, *foliolis ternis* ovato-ellipticis, ramis floriferis et pedicellis aculeatis rectis, aciculis et villo denso glanduloso vestitis, panicula divaricata, sepalis aciculosis glandulosisque, petalis elongato-spathulatis crenulatis. *Arrh. Monogr. p. 40. Fr. Mant. II. p. 36. Engl. Bot. Suppl. t.* 2883 *Fl. Dan. t.* 1696 (fol. sq.) In Gothia tantum lectus in Calmariensi provincia, ut in par. Misterhult in Snuggö (ubi 1836 prima vice ab Arrhenio lectus) et in taeniis ad Misterhult; in Dania pluribus locis, Selesvigia ad Eckernforde, Jutlandia ad Veile copiose, raro ad Colding etc. *Lange* quoque observatus. Itidem ab omnibus conspicue diversus et antiquitus distinctus. Petala semper alba. Fructus magni, atri, sapidissimi.

10 R. SPRENGELII (Weihe! et Nees Rub. t. 10) caule sterili procumbente *e tereti angulato*, *aculeis magnis complanatis subrectis munito pilisque sparsis vestito*, *foliis ternatis* utrinque viridibus, foliolis inaequaliter grosse serratis, extimo cordato-ovato abrupte acuminato, *ramis superioribus pedunculisque pilis simplicibus aculeisque rectiusculis obsitis*, panicula corymbosa, petalis obovatis longe unguiculatis ciliatis. *Arrh. Mscr. Fl. Dan.* t. 1697. In dumetis Scaniae ad Kockenhus in Kullaberg d. 11 Aug. 1840 ab *Arrhenio* inventus eodemque loco spec. Herbarii Normalis a Nobil. *Gyllenstjerna* collecta. Est floribus speciosis roseis inter elegantiores et bene distinctus; affinitate naturali *R. umbroso* fere proximus, propter indumentum, folia constanter ternata etc. hoc loco, fere invita natura, inseritur.

11. R. WAHLBERGII (Arrh. Monogr. Rub. p. 45) caule sterili decurvo *angulato-rotundato aculeis crebris multiformibus armato*, foliis ternatis subtus pallide viridibus s. canescentibus, turionum quinato-pedatis, foliolo extimo cordato-ovato; *ramis ramulisque floriferis pubescentibus, subglandulosis aculeatisque*, panicula composita densa subcorymbosa, petalis rotundato-ovatis rugosis. R. corylifolius v. litoralis. *Fr. Nov.* 1817. *p.* 53. R. corylifolius intermedius. *Wahl. Goth.* p. 57. R. corylifolius *Hartm. Sc* 2 et 3 pr. p. R. fruticosus v. intermedius. *Wahlnb Suec.* 2. *p.* 330. Locis siccis montosis maritimis, ad mare bal

ticum usque ad Uplandiam et secus occidentale in Dania, Scania, Hallandia, Bahusia; inque Norvegia ad Arendal lectum vidit Arrhenius in Herb. Blyttii. Species inter insigniores, in Germania nondum videtur lecta, sed in Gallia a Cel. Gordron detecta et recognita. Flores dilute rosei, *styli virescentes*, *fructus atrocaerulei* acidi.

12 R. corylifolius (Smith. Fl. Brit. II. p. 542) caule sterili *arcuato-procumbente tereti*, *aculeis conformibus subulatis rectis dense munito*, *foliis* ternatis quinatoque-pedatis, ramis floriferis sulcatis villosis, aculeolis conicis rectis adspersis, panicula subcorymbosa, petalis obovatis unguiculatis. *Arrh. Monogr. Rub. p. 16. Engl. Bot. t. 827.* Rubus maximus etc. *Linn. It. Westrog. p. 135. Scan. p. 139*, quibus locis tanquam speciem a vulgari R. fruticoso *Suec.* hunc clare separat. In dumetis nemorosis montosis, maritimis Daniae (Jutlandia ad Århus copiosissimus cum R. suberecto, Radula et nemoroso *J. Lange*, porro ad Fredriciam), Gothiae litoralis fere totius, Norvegiae ad Arendal etc. Flores pallide rosei, albescentes; *styli virescentes*; *fructus* e coerulescente *atrosanguinei* nudi sapidi.

****caule sterili prostrato flagelliformi caesio-pruinoso.*

13 R. nemorosus (Hayn. Arzn. Gen. III. t. 10) caule sterili *prostrato e rotundato angulato caesio pruinoso*, aculeis raris conformibus obsito, foliis subtus velutino-puberulis, *turionum quinato-pedatis*, ramis floriferis villo pilisve raris aculeisque adspersis, panicula subsimplici rara, petalis cuneatis. *Arrh. Monogr. Rub. p. 45. Wimm. Grab. Sil. II. p. 34.* R. dumetorum *Weihe et Nees Rub. p. 100.* In nemoribus et dumetis, ad pratorum et agrorum margines Daniae, Gothiae, Norvegiae (in Waliö in Christianiafjorden, Hvalö prope Fredrikstad etc.), et in Sudermannia Sueciae mediae. Flores dilute rosei l. albidi, *styli carnei*, *fructus* majores sapidi *nigri* nec caesio-pruinosi. In forma primaria rami floriferi sericeo-pubescentes, folia subtus velutino-puberula. Variat

— *tomentosus*, ramis floriferis sericeo-pubescentibus, foliis subtus albotomentosis. *Arrh. l. c.* p. 46 ubi syn.

— *ferox*, ramis floriferis pedicellisque aculeis confertis armatis, foliis pilosis virentibus. *Arrh. l. c.* R. horridus. *Schultz. Starg. Suppl. p. 30. Spreng., Dec.* etc non Arrh. In provinciis australibus, ut Scania.

14 R. pruinosus (Arrh. Rub. Suec. p. 15) caule sterili *procumbente tereti* e viridi *obscure caeruleo-pruinoso*, aculeis subacicularibus rectis munito, foliis ternatis *turionumve 3-5-7-nato-pedatis* duplicatoserratis, ramis floriferis angulatis glauco-pruinosis subglabris aciculis minoribus adspersis, panicula subthyrsoi-

dea, *petalis rotundato-ovalibus* basi dilatatis. In dumetis Daniae (in Selandia una cum *R. fruticoso* et *Radula* vulgatissima species, etiam in Jutlandia ad Colding, Fredricia etc *Lange*), in Gothia orientali raro v. c. in insula Örö et taeniis ad Westervik Smolandiae orient. Species vix ab alio descripta, pluribus vero Germaniae locis hoc anno lecta ab Arrhenio. Flores albi. *Fructus* immaturi virides rubentesve, pubescentes, *maturi atrosanguinei, pube alba haud detersili* obducti, sapore delicato Rubo Idaeo proximi.

15 R. CAESIUS. L. Koch. n. 3. A prioribus dignoscitur caule debili *tereti* caesio-pruinoso *aculeolis subsetaceis* obsito, foliis omnibus ternatis inciso-serratis, petalis obovatis albis emarginatis, stylis virescentibus, fructibus atris mucidis rore caesio adspersis. Cfr. *Arrh. p. 80* ubi varr. *umbrosa, — agrestis —* et *vestita* simul exponuntur.

§. 2. Herbacei. **foliis ternatis.*

16 R. SAXATILIS. L. Koch. n. 4. — Flores subumbellati. Petala ovali-lanceolata, calycem aequantia, alba. *Acini pauci (1—4), globosi, distincti, rubri.* Singularem legi varietatem:

— *simplex*, caule simplici erecto glabro paucifloro definito. Ad latera rupium umbrosa in terr. Kinda Ostrogoth. Haec forma a vulgari differt ut sequentis forma typica a varietate *hybrida* dicta, sed typus harum specierum oppositus est.

17 R. CASTOREUS (Nov. Fl. Mant. II. p. 37) caule flexuoso paucifloro, foliis ternatis, pedunculis ex alis foliorum solitariis elongatis, petalis obovatis longe unguiculatis calyce duplo longioribus, staminibus erecto-divergentibus, acinis paucis (3-7) in moram hemisphaericam rubram congestis. *Arrh. Monogr. p. 54.* R. arcticus v. castoreus *Sv. Bot. t. 766.* R. saxatilis v. castoreus. *Laest. N. Act. Ups. XI p. 246. 295.* In Lapponia Lulensi, Tornensi, plurimis locis copiose lectus a Laestadio, Andersson etc. ♃. Jun. Inter praecedentem et R. arcticum medius, hinc ad utrumque relatus, plurimis vero notis ab utroque distinctus. Jam Lappones distinctum tradunt sub nomine *Wadnem muorje*, a colonis Suecis in *Bäfverbär* translato i. e. Castoris baccae, unde nomen speciei proposuit hujus stirpis inventor, Laestadius. Forma primaria sq. robustior, erecta sed fractiflexa, inermis nec flagellifera. Flores prioris duplo majores, pallide rosei. *Acini ovati, stylis persistentibus rostrati, rubri,* nec ut prioris distincti neque sequentis more coaliti. Ad praecedentem revergit, plerisque nostratium forma hybrida utriusque videtur:

+ R. TRIFLORUS (Hook. Fl. Bor. Am. I. p. —) caule sarmentoso spinuloso, petalis minoribus albis. R. saxatilis v. hy-

bridus *Wahl. Succ. n. 570. Hartm. Sc. 2. p. 138.* Cum prioribus. R. saxatilis, immo R. arcticus, tamen analogas offerunt formas.

18 R. ARCTICUS (Linn. Sp. 2. p. 708) caule erecto subunifloro, foliis ternatis, pedunculo terminali, petalis obovatis calyce duplo longioribus, staminibus conniventibus, acinis numerosis globosis in moram atropurpuream connatis *Linn. Lapp. p. 207. Sv. Bot. t. 26. Fl. Dan. t. 488. Arrh. Monogr. p. 55.* Locis graminosis caeduis Scandinaviae borealis totius usque ad loca subalpina (in Lapponia vero sec. Wahlenberg sterilescit, ubi prior laete fructificat) versus meridiem rarescens, tamen usque ad Holmiam et Elfdalen Vermlandiae progrediens. ♃. Majo, Jun. Praecedente minor, indeque minus fractiflexus, raro bi-triflorus, sed flores saepe sepalorum petalorumque numero duplo luxuriant purpurei, sed variat albiflorus et subsarmentosus, quibus formis cum prioris forma hybrida dicta etiam hic ad R. saxatilem revergit. — Singulare profecto hujus in Suecia primo detecti et in omni Europa subarctica vulgatissimi patriam modo indicari Sibiriam in Dec. Prodr.

***foliis simplicibus lobatis.*

19 R. CHAMAEMORUS. L. Koch. l. c. n. 3. Rara haec in Germania species et in Daniae borealibus partibus modo obvia, in Scandinavia continentali a Scania ad Finmarkiam ubique vulgaris.

VII. POTENTILLA. (P. erecta L.! = P. obscura *Willd.*)

8 b. P. INTERMEDIA (Linn.! Mant. I. p. 76), caulibus adscendentibus diffusisque pubescentibus apice subcorymbosis, *foliis* quinatis ternatisque *subtus viridibus pilosellis*, foliolis radicalium obovatis, caulinorum lanceolato-cuneatis, serraturis patulis obtusis. *pedunculis arrectis strictis*, carpellis rugulosis immarginatis. *Fr. Mant. III. p. 44.* Non Auctt. Specimina P. intermediae *Linn.* ex horto Upsaliensi ad suam P. collinam retulit *Lehman.* In horto Upsaliensi aliisque locis sponte occurrit elatior; minor raro in Ölandia, Scania = P. collina Lehm. ♃. Jul. Aug. Rosulam typice habet centralem ut *P. collina*, cui valde affinis; certissime tamen diversa virore et pedicellis arrectis. Ex habitu inter *P. argenteam et P. norvegicam* prorsus media est.

P. inclinata *Vill.* etiam praecedentis formae majori valde similis est, at *carina carpellorum tenuissima et foliis subtus canescentibus* diversa. Hanc ut dubiam modo notavi civem; nam sporadica modo apud nos visa; e duobus Sudermanniae locis tamen habeo vere spontaneam. Non igitur dubitem hanc

Ingriae, *Livoniae* et *Curoniae civem* ad Floram nostram pertinere, sed statio magis definita investiganda.

9 P. COLLINA. Speciminibus a Ill. Kochio communicatis, et quidem autographis Wibelianis, edoctus sum ad hanc referendam esse P. sordidam *Nov. Mant. III. p. 43.* Pedicelli elongati, laxi, fructiferi recurvati hujus speciei sistunt notam essentialem, ceterum magnopere variat, et tamquam formae primariae notandae:

— *sordida*, adscendens, rosula radicali nulla, caulibus simplicibus adscendentibus apice corymbosis, foliolis subtus tomentosis, margine revolutis. P. argentea v. sordida. *Fr. Nov.* p. 164 P. collina. *Koch. syn. ed.* 1.

— *humifusa*, caulibus ramosissimis circa rosulam centralem undique humifusis difluse paniculatis, foliis margine planis subtus pubescentibus. P. Güntheri. *Auctt.* et *Koch. syn. ed.* 1

27 b. P. FRUTICOSA (Linn. Spec. p. 709) caule fruticoso erecto, foliis quinato-pinnatis, foliolis subvillosis integerrimis, tribus ultimis confluentibus, calyce villoso petalis breviore, carpellis basi pilosis. *Sv. Bot. t.* 253. Locis uliginosis, hieme inundatis Ölandiae australis totius copiose, rara ceterum in Europa. ♄ Jun. Jul. Flores speciosi, lutei.

XII. ROSA Specierum distributio hujus generis valde insignis et in diversis terris varia; in convallibus alpinis genus centrum suum habet, quamvis sub arctoe Lapponiam modo duae species intrant, *R. cinnamomea* et *mollissima*. Haec duae species usque ad Scaniam ubique-vulgares, maximam in Scandinavia habent extensionem, quamvis in Germania modo indicentur in convallibus alpinis australioribus. E contrario in Scandinavia rarae, in oris occidentalibus potissimum obviam veniunt *R. pimpinellifolia* et *R. tomentosa* Sm. — *Rosa pomifera* apud nos, ut in Germania, vere alpina est, sed per regiones campestres cultura simul inquilina facta.

5 b. R. CARELICA, trunco hornotino *ramisque* aculeis stipularibus raris acicularibus rectis *setisque conformibus eglandulosis confertis undique armatis*, foliolis 5-7-ovatooblongis simpliciter serratis glabris, stipulis ramorum florentium sursum dilatatis basi cuneatis, apicibus liberis lanceolato- acuminatis, laciniis calycinis integerrimis lanceolatis corolla brevioribus, fructu . . . In dumetis Careliae Fennicae. ♄ Jun. Jul. A Botanico quodam Petropolitano', cujus nomen vero me fugit, detecta sit et pro *R. cinnamomeae* var. descripta, at spec. ab amico Ångström communicata clare indicant majorem cum *R. alpina* affinitatem vel maximam, ob ramos floriferos undique setigeros, cum *R. Gmelini* Ledeb. Fl. Alt. II. p 228. Aculei (solitarii vel

bini ad ortum ramorum, setis duplo firmiores), et setae omnino conformes, teretes e tuberculo subrotundo, fusco porrecti. Pedunculi glabri l. setis glanduliferis hispidi, solitarii, uniflori. Calycis tubus oblongus, glaber, laciniis glabris integerrimis, sed breviter et pulchre lanatulo-ciliatis, acumine longo lineari terminatis. Corolla speciosa R. alpinae, sanguineo-rosea. Fructus desunt.

6 b. R. LAXA (Retzius Hoffm. Phyt. Blätt.) aculeis truncorum rectis confertis inaequalibus, majoribus subulatis, minoribus setaceis, ramorum stipularibus validioribus compressis falcatis, foliolis 7-9 ovatis oblongisve simpliciter serratis glabris, *stipulis ramorum* tam sterilium quam *fertilium linearibus,* auriculis acuminatis porrectis, laciniis calycinis lanceolato-linearibus integris glabris corolla brevioribus, *pedunculis fructiferis arcuato-recurvis, fructibus oblongis pulposis* serotinis *calyce persistente connivente* coronatis. In Svecia passim in saepibus culta, vix inquilina. ♄ Per totam aestatem. Orgyalis et ultra, *non indigena*; sed ex hac *R. arvensem,* cui habitu similis, Sueciam in Mant. 2 dixit Linnaeus. H. l. inserui speciem nobilem, cum Recentioribus sit ignota, ad *R. alpinam* perperam relata. Vidi frutices archetypos speciei Retzianae! Flores semper albi, maxime vulgo corymbosi; sed in speciminibus Herb. Norm., loco sterili inculto natis, solitarii.

Alia distinctissima, plurimarum eximiarum Rosarum more oblivioni tradita species est *Rosa microcarpa* Retz! l. c. etiam mihi ex archetypo vivo cognita. Est quoque e Cinnamomeis et e descriptione R. mollis *Ledeb. Fl. Ross. II. p. 77.*

11. R. CANINA. In utraque *Nov. Fl. Svecicae* editione cum hac conjunxi *R. dumetorum* Thuill. et *R. collinam* et postquam Ill. Kochius idem professus est judicium, hoc tamquam pharum omnes facile sequuntur Botanici. Si species ex characteribus distinguantur (hi enim in his parum momentosi), neutiquam distingui possunt; et nihilo minus certum est, *stirpes ipsas in natura constanter esse diversas,* nec e seminibus educatas neque formis vere intermediis, si analogas singularium distinguamus, in se invicem transire! Millena et varia circa Upsaliam videre licet *R. caninae* et *dumetorum* individua, facillime vero semper ad suam speciem referenda, quare Ill. Wahlenberg, plantas ipsas nec characteres modo respiciens, tam in *Fl. Upsaliensi,* quam *Suecica* distinxit — et quanto diutius ejus vestigia repetii, tanto magis ad hanc sententiam inclino. *R. canina* sensu angustiori, dignoscitur tamen a sqq. modo *foliolis laevibus, apice convergenti-serratis fructuque erecto.* At in ipsa hac R. canina, at rarissime, pedunculi variant hispidi.

b. R. DUMETORUM (Thuill. R. collina Wahlnb. Suec. et Upsal.) in Suecia media R. caninae fere vulgatior est, constanter a priori distincta at non nisi *foliis e venis immersis rugulosis pubescentibus*, *serraturis omnibus porrectis*. Formas habet plurimas, singula analogae cuidam R. caninae respondens e. c. in lucis laetioribus, in quibus R. canina nitida viget, hujus forma laete virens; in saxosis asperis inter R caninam glaucam occurrit hujus opaca et leucantha. Ea est characterum indoles, ut plures varietates v. c. *Draba hirta Dovrensis* a forma primaria tantum recedant, ut sub eadem diagnosi capi non possint, cum aliae optimae species v. c. *Potentilla opaca* vix ulla nota palpabili possint distingui. R. dumetorum inter R. caninam et coriifoliam exacte media est.

c. R. COLLINA. Jacq. Haec apud nos tantum occurrit in provinciis occidentali-meridionalibus; ut prior ad *R. coriifoliam*, haec ad *R. tomentosam* vergit aculeis parum aduncis, saepe rectis, pedunculis hispidis, quibus a priori pedunculis semper nudis differt. At in *R. canina* verissima pedunculos casu vidi hispidos, ab hac differt R. collina modo *foliis patenti-serratis*, *fructu maturo cernuo*. Quam laeves hae notae sint, ipsas stirpes hactenus vidi constanter diversas.

d. R. INODORA (Fr. Nov. 1814 p. 9. (rubiginosa β. Ed. 2. R canina δ. sepium *Koch. pr. p.*) Facile largior hanc perperam a me R. rubiginosae esse adscriptam et affinitate R caninae esse proximam. Quod vero praecedentes ad R. coriifoliam et tomentosam, haec ad R. rubiginosam. *Foliis subtus dense glandulosis viscidis et calyce patente tarde deciduo* nostra tamen a prioribus constanter differt. — Ceterum sub *R. sepium* Thuill. plures diversae formae, etiam *Rosae rubiginosae*, confunduntur et veram *R. sepium* Thuill., Brit., Fl. Dan. t. 2235 ob aculeos inaequales, pedunculos hispidos etc. ad R. rubiginosam refero. Nostram esse R. Klukii. *Fl. Sil.* nos docuit cel. Wimmer.

13 b. R CORIIFOLIA (Fr. Nov. p. 147) aculeis uniformibus validis falcatis, truncorum sparsis, ramorum substipularibus, *foliolis* 5-7-nis subcordatis ovatisque *rugosis villosis patentiserratis*, stipulis foliorum floralium elliptico-dilatatis, auriculis ovatis porrectis; *laciniis calycinis* pinnatifidis corollam integerrimam aequantibus, in fructu *subsessili* globoso *erectis persistentibus*, carpellis breviter stipitatis. R. crassifolia *Wallm. in Liljebl. Sv. Fl.* In silvis montosis Gothiae, ceterum rarior dispersa. Ambigit inter Caninas et Villosas. Folia ob tomentum densius crassa, subcoriacea. Petala saturate rosea. Fructus Caninarum praecocior, sessilis, quare bracteae fructu lon-

giores et, ex hac nota, cum *R. bracteata* Woods. convenit.

13 R. MOLLISSIMA (Willd. Ber. n 1237. Fr. Nov. p. 151.) in Kochii synops. jam optime exposita sub *R. ciliato-petala* l. c., sed nomen hoc hybridum rejiciendum est, synonymon Besseri insuper ad R. pomiferam (Cfr. Syn. III) pertinet. Willdenowii vero hujus esse loci, collata *R. villosa* Meyeri in Chl. Hannov., vix dubitare liceat neque ipsam hanc speciem, a Lapponia ad infimam Scaniam et Daniam vulgatissimam, in Germaniam borealem transire. Ad hanc nempe speciem pertinent *R. villosa* Linn. Suec. n. 1293, Wahlnb. Suec. n. 634 R. mollis. *Smith! et Hook. E. B. t.* 2459 (petala ex err. integra). R. tomentosa *Bot. Scand.* Videntur haec et *R. tomentosa* se invicem excludere, attamen non R. tomentosae (fructu coriaceo etc), sed R. *pomiferae* proxima est, ut nisi hujus adesset alia forma silvestris, *R. mollissimam* cum Willd. Spec., Mey. Chl. Hann. pro ejus typo facile sumeres. A *R. pomifera* differt R. mollissima: statura gracili, foliolis subrotundis rugosis mollissimis, aculeis conformibus subulatis, laciniis calycinis subsimplibus l. parce pinnatis, fructibus glabris setosisve, duplo minoribus, magis pulposis, erectis, sanguineis — nec magnis, aculeolatis, nutantibus, purpurascentibus. Cum *R. tomentosam* Koch. ignorent Botanici nostrates, in hanc quaerunt.

II. SANGUISORBA. Koch. p. 237 sub Sanguisorbeis.

1 b. S. POLYGAMA (Nyland. Spic. I. p. 10), spicis globoso-oblongis polygamis, "*angulis tubi calycini fructiferi marginatis*", staminibus laciniis calycinis subbrevioribus, foliis basi obliqua cordatis ovato-lanceolatisve. Poterium Sanguisorba. *Fellm. Ind. Kol. n.* 230. Sanguisorba officinalis. *Ledeb. Fl. Ross. II.* quoad plant. arcticam. In Lapponia Rossica copiose ad lacum Imandra, flumen Niva, ad Kandalax etc., dein ad mare album parcius; in Carelia ad Koutajärvi; in Lappon. Kemensi ad Kuolajärvi. *Nylander.* ♃. Jul. Ob stationem arcticam (Cfr. Endl. Gen. Pl.), in Rossia et Europaea et asiatica copiosa est, valde insignis, ceterum a S. officinali florens vix differt nisi statura elatiori, spicis sanguineis (Cfr. Hook. Brit. *β*.) Fructifera vero calyce, secund. Cel. Nylander, diversa apparet. Hujus auctoris fide ut distinctam proposui.

POMACEAE. Koch. syn. p. 238. Supr. p. 42.

I. CRATAEGUS. Botanici Itali contendunt C. monogynam Iacq. veram esse et Upsaliensem Cr. Oxyacantham L. Verum quidem est Linnaeum has species non distinxisse at Upsaliensis est *Cr. monogyna* Fingh., cujus var. est C. oxyacan-

thoides. Thuill. — C. cyrtostyla *Fingh.* s. vera C. monogyna Iacq. magis ad provincias occidentales pertinet.

II. COTONEASTER. Cum vulgari confluit var. *baccis luteis*, foliis simul angustioribus, at *species* constans est, etiam in Horto Upsaliensi educata:

1. *C. NIGRA, foliis subrotundo-ovalibus obtusissimis, *subtus lanatis*, calyce pedunculisque subracemosis glaberrimis, *drupis succosis nigris pruinosis.* Mesp. cot. nigra *Wahlb. Goth. p.* 53. In Gothia tam ad mare balticum (Blekingia, *Lindbl.*), quam occidentale (Hallandia boreal.) et Norvegia circa Christianiam copiose. Vulgari elatior, passim arborescens; fructus maturi succo atro-violaceo scatent; vulgaris sunt magis farinacei, nudi, coccinei, umbilico clauso; in *C. nigra* aperto.

III. PYRUS. Pyri in Scandinavia silvestres multum variant. — *P. malus*, fructu dulci sapido, in extimis taeniis Blekingiae sarmentacea nascitur, rupibus ad modum "espalier" adpressa. — Rustici Smolandiae, ut jam notavit Linnaeus, duplicem distinguunt malum vere silvestrem, alteram spinosam foliis glaberrimis, fructu acidissimo (*Sur-appel*), alteram inermem foliis subtus corymboque subtomentosis, fructu valde amaro, at non acido (*Besk-appel.*) A Malo sativa efferata utraque diversa est, et in exteris terris inquiri meretur. Videtur sane duplex latere species.

IV. SORBUS. Distributio specierum *naturalissimi* hujus generis in Scandinavia et Germania fere opposita est.

3. S. HYBRIDA, Suecis *Finsk Oxel*, utpote e Fennia orta, in Suecia spontanea modo in provinciis maritimis maxime orientalibus (Roslagia Uplandiae et Gottlandia), sed in Norvegia iterum sat frequens; normaliter *maritima* est. Nomen specificum falsum mutari multi optarunt, et e prioritatis lege recipiendum *fennicae*, sub quo nomine *primus hujus speciei inventor*, Kalm, jam 1756 in Flor. Fennica proposuit et Linnaeus Pater mentionem fecit. Linnaeus filius dein, e vana *hybriditatis* opinione, temere mutavit.

3. b. S. SCANDICA (nomen antiquiss., optimum) est Arbor Florae Suecicae maxime priva, in Norvegia jam rarissima, nuper a Blyttio inventa, vulgo *Svensk Oxel* dicta. Optimam ejus Patriam sistunt plagae montanae interiores, v. c. Smolandia orientalis; at nuper, ex Koch in addend. in Germania litorali detecta — et l. c. plene exposita. — Exstat hujus *var. pinnatifida*, cum S. fennica passim confusa, fructu vero certe distincta; fructus enim S. *fennicae* sunt acidi, hinc *Suroxel* Roslagis, et habitu S. Aucupariae simillimi.

4. S. ARIA. Ut prior plagas interiores montanas apud nos, haec in Germania diligit; verum in Scandinavia extima promontoria marina, praecipue in Norvegia, in Gothia valde dispersa, unde vulgo *Norsk Oxel*, inque extimis scopulis ditionis Bergensis oritur singularis varietas:

— — *salicifolia* (Myr. Diar. 1834) foliis oblongo-lanceolatis, basi attenuatis. S. oblongifolia. *Reich.! Fl. Germ. exs. n.* 2252.

ONAGRARIEAE. Koch. p. 264. Supra p. 41.

I. EPILOBIUM. Secundum principia, quae in generibus exoticis hujus familiae discernendis sequimur, *E angustifolium* cum affinibus tamquam proprium genus admisimus. Quae restant species, attendendo nimis ad staturam, indumentum, florum magnitudinem, stigma apparenter integrum l. plus minus fissum, valde intricatae censentur, his vero notis neglectis speciebusque e diversa radicis indole et innovatione, foliorum typo, floribus virgineis nutantibus arrectisve e. s. p. distinctis formae illae ambiguae et "hybridae" facile evanescunt ipsaeque species inclarescunt. In *E. montano*, *E. roseo et purpureo* nullos inveni turiones foliosos; in *E. tetragono*, *alpino et lineari* e radice exseruntur breves rosulatae; in *E. virgato*, *origanifolio et palustri* e basi caulis elongati, stolonosi, foliis sparsis. Nec minoris momenti differentias offerunt semina. Necesse omnino est, ut tandem deseramus habitualem specienum limitationem, sive in distinguendo sive in contrahendo versetur aeque ancipitem, ad ipsarum plantarum historiam et partes subtiliores attendentes.

8. b. E. LINEARE (Mühlenb. — Fr. Mant. III. p. 185.) foliis sessilibus linearibus obtusis remote denticulatis integerrimisve, imis oppositis ellipticis, caule e basi repente, rosulas densas sessiles emittente, erecto tereti undique puberulo, florifero apice nutante, stigmatibus in clavam coalitis, capsulis e puberulo glabratis. *Linn. Lapp. n.* 149. E. nutans. *Smrf. Suppl. p.* 17. *Lindbl. Phys. Sällsk. Tidskr.* 1838. *p.* 549. In alpibus Scandinaviae totius. ♃. Jun. Jul. Cum var. macilenta, albiflora *E. palustris* perperam confunditur. Vegetatio caespitosa ob rosulas ad basin sessiles. Caulis spithamaeus et infra, simplex vel vage ramosus, basi subangulatus. Folia glabra, opaca. Petala minuta, lactea. Capsula matura arrecta, glabra, purpurascens. — Nomen *E. nutantis*, et per se et propter homonyma antiquiora pravum, ab inventore ipso varia expositione variisque speciminibus distributis omnino confusum redditum; nec icon *Fl. Dan.* nostrum rite exhibet.

Hujus et reliquarum specierum alpinarum (E. origanifolii = *Linn. Lapp. n.* 147 et E. alpini = *Linn. Lapp. n.* 150), jam in Linnaei Fl. Lapp. clare expositarum, dein ab ipso ad inferalpinas infauste relatarum: mira dein apud nos regnavit confusio, quam in Nov. Mant. II. tollere studui, omnesque plene exposuit Cl. Anderson in *Bot. Not.* 1844. p. 154, ex quo "semina *E. origanifolii* obconica, rugosa, dense punctulata obscure nitida; *E. alpini* lanceolata, magis compressa et punctata, altero latere carinata, pallidiora; *E. linearis* obconica, pr. longiora et angustiora, angulato-bisulca, obsolete punctulata."

9. E. VIRGATUM (Fr. Nov. p. 115, potius chordorhizum) foliis sessilibus lanceolatis denticulatis a basi rotundata ad apicem attenuatis, *caule e basi chordaeformi-repente radicante*, stolones elongatos sparsifolios emittente, adscendente tereti-anguloso, *floribus virgineis arrectis*, stigmatibus in clavam subcoalitis, *seminibus oblongo-obovatis teretibus laevibus. H. N. X.* In uliginosis, ad scaturigines Hallandiae ad Bredared, Hvalinge etc. ut etiam Jutlandiae (sec. Dreyer, Paulsen, Lange) copiose. ♃. Jul. Aug. Postquam Summa praecedens typis jam exscripta erat, accepi Synops. Koch. part. III, ubi se eum hoc heterogenea conjunxisse et genuinum *E. virgatum* sibi dubium monet. Meo sensu tamen species admodum clara manet, sed nomen non bonum, si *chordorhizum* dictum fuisset multiplex sublata fuisset confusio. Ab *E. palustri* differt floribus virgineis erectis cauleque leviter anguloso; ab omni *Epil. tetragono* facie E. palustris, rhizomate longe repente et radicante (saepe ultra spithamam longo), caule tereti, seminibus (E. palustris) duplo majoribus obovatis, basi acutis pallidis, teretibus laevibus (praematura exsiccatione collapsis et longitudinaliter rugosis.) Manifeste perenne est, at folia numquam decurrentia.

Ambiguum appellavi Epilobium, in silvis adustis v. c. ad Femsjö vulgatius, a studiorum meorum initiis bene cognitum, primo pro E. tetragoni, dein, observato stigmate passim fisso, pro E. virgati var. sumtum. At character e stigmate ubique fallax est et postquam iterum 1845 genuinum E. virgatum in solo natali comparare licuit, ab hoc clare diversum inveni radice bienni, caule stricto, seminibus etc. Ad hanc ambiguam formam pertinet H. N. II., E. virgatum Hn. apud Koch, qui idem ad novam speciem, *E. Lamyi* Schultz, ducit.

10. E. TETRAGONUM. Admodum statura et indumento varium nec *E. obscurum* ab hoc distinguere valeo — at singulis partibus ab *E. virgato* diversum, praecipue vero *caule a*

radice, versus autumnum rosulas sessiles, foliis densis linguaeformibus, enitente, *striato seminibusque* duplo minoribus *oblongis punctulatis* semper tute distinctum.

10. b. E. PURPUREUM (Fl. Hall. p. 65) foliis subsessilibus ovato-lanceolatis, basi attenuatis, *caule tereti e nervo foliorum dorsali decurrente opposite bisulcato*, *floribus virgineis arrectis*, stigmatibus in clavam coalitis vel denique patentibus. *Nov. Mant. III.* p. 185. Ad fossas ad arcem Halmstadiensem Hallandiae olim lectum; his vero exsiccatis et aequatis periit. Similibus locis ad Colding nuper iterum detexit *J. Lange.* Floribus arrectis praecedentibus, ceterum E. roseo aut potius E. montano proximum, rami enim teretes sunt et folia basi attenuata aequo jure subpetiolata dicas. Ab omnibus vero differt caule non e petiolis decurrentibus angulato, sed e foliorum oppositorum nervo dorsali decurrente bisulco. — Cum in primo loco periisset, ad *E. roseum* retuli, inventa vero nova statione non potui non restituere.

CRASSULACEAE. Koch. p. 282. Supra p. 40.

1. SEDUM. Unicam modo e Thelephiis in Suecia omni et Norvegia habemus speciem vere indigenam, eandemque excepta Lapponia ubiquitariam, nempe *S. maximum*, quod absque dubio est S. Thelephium *Linn. Suec.* et valde dubitamus an aliud Linnaeo cognitum fuerit. Singularem habemus varietatem:

1. S. THELEPHIUM — *angustifolium* (Lilja Skån. Fl. p. 201.) foliis sparsis e basi attenuata lanceolatis acutis. Locis udis Scaniae ad Rönnemölla, Hallandiae ad Lindberga. Ad prius se habet, ut S. Fabaria ad S. purpurascens; Cl. Lilja suspicatur esse S. Fabariam floribus chloroleucis.

2. S. PURPURASCENS. "Sedum purpureum" nostrum a priori specie differre non dubitamus, sed utrum ad S. purpurascens an S. fabariam referatur, speciminibus Cel. Auctoris quamvis munitus, anceps haereo, foliorum forma enim intermedia est situmque staminum in siccis tute eruere non licet. In Dania hoc aliquot locis nascitur, in Sueciae provinciis maxime austr. nuperrime quoque est visum, at ni fallor introductum, cum non in rupibus, sed in coemiteriis, saepibusve lapideis ad pagos modo lectum sit.

3. b. S. HYBRIDUM (Linn. Spec. p. 617) caulibus adscendentibus basi repentibus stoloniferis, foliis cuneiformibus alternis subconfertis obtuse serratis glabris, cyma terminali foliata. *Nov. Comm. Goett.* 6. t. 5. *Blytt. Christian.* p. 24. In monte Egeberg prope Christianiam; detexit *Moe.* ♃. Jul. Planta haec

Uralensis l. c. forsan accidentalis est, at si in alpinis Norvegicis vere indigena sit, hoc maxime profecto memorabile.

10 b. S. ANGLICUM (Huds. Angl. p. 196) foliis ovatis obtusis subalternis glabris trigonis, supra planis, basi productis; *cauli'us cauli uli-que sterilibus caespitosis adscendentibus* cyma subbifida, racemis recurvatis, petalis oblongo-lanceolatis acutis sepala ovata obtusa superantibus. *Fl. Dan. t.* 82. *Sv. Bot. t.* 605 *Wahl. Goth. p.* 50. In scopulis praecipue maritimis, Norvegiae occidentalis plurimis locis; nec non Bahusiae in Koön ad Marstrand, Styrsö etc. ⊙.? Jun. Jul. Flore albo caudiculisque sterilibus ab omnibus annuis recedit, ut de duratione dubia jure movet Cel. Koch.

Obs. SEMPERVIVUM *globiferum* L., quale propria manu circa Musaeum suum Hammarbyense in saxis plantavit et adhuc, quasi spontaneum, superest sistit *S suboliferum.* Sims.

SAXIFRAGEAE. Koch. syn. 307. Supra p. 39.

1 SAXIFRAGA. Regnum Saxifragarum dictae sunt Zonae arcticae, at in Scandinavia nec individuorum copia nec specierum numero (alpes Germaniae triplo plures alunt) hoc genus excellit. Ob hanc inopiam dedimus supra dispositionem nostris modo respicientem. Unica modo nobis in Germania haud obvia.

41 S. RIVULARIS (Linn. spec. p. 586) caule adscendente simplici subunifolio 1-2-floro, foliis radicalibus petiolatis 3-5-lobis, rotundatis obtusis, caulino sessili ovato subintegro, calyce semiadnato petalis duplo brevioribus *Linn. Lapp. t.* 2. *f.* 7. *Fl. Dan. t.* 118. *Sv. Bot. t.* 729 cum var. Ad latera irrigua, juxta rivulos etc. summarum alpium. ☽ Jul. Aug. Planta tenella, uncialis, fructifera passim elongata, pedunculis pilosis, ceterum glabra; facie fere Zahlbrüchnerae.

UMBELLIFERAE. Koch syn. p. 307. Supr. p. 22.

Maximum hujus familiae numerum praebent zonae temperatae; septentrionem versus decrescit specierum et generum numerus, ut cum Flora Germanica comparatae tres modo nostrae sint privae; subarcticum *Ligusticum s. Haloscias scoticum,* occidentale *Bunium s. Carum flexuosum,* denique orientale *Cenolophium.*

XVI. CARUM, ipso Kochio observante, a Bunio characteribus fidis non differt; servarem tamen, si genera sisterent naturalia, at cum naturalem affinitatem violat eorum distinctio, meo sensu non possunt non conjungi. Cari nomen absque dubio praeferendum est propter classicam vetustatis auctoritatem

speciemque notissimam, officinalem; Bunio autem nulla restat species antiquitus definita, ne quidem Linnaeana, B. Bulbocastano ad Carum translato.

4 b. C. FLEXUOSUM (With. Arr. IV. p. 291 sub Bunio) radice globosa, foliis inferioribus tripinnatis, laciniis linearibus uninervibus incisis, caulinis vagina abbreviata sessilibus, umbella multiradiata, involucro 1-5-phyllo, foliolis involucelli lanceolatis, stylopodio conico, valleculis trivittatis, stylis erectis. B. Bulbocastanum. *Veter. et Hornem. Oec. Pl.*, at descr. pro more translata e script. exteris, veram plantam describentibus. B. flexuosum *Engl. Bot. t.* 988. B. denudatum. *Dec. Prodr.* IV. p. 117. Locis arenosis apricis Norvegiae occidentalis; districtus Bergensis haud raro v. c. ad Stavanger etc. ♃. Jun. Jul. Affinitate naturali *C. Bulbocastano* propinquum. Caulis pedalis, gracilis, flexuosus.

XX. SIUM LATIFOLIUM — *longifolium* (Fr. Hall.) foliolis elongatis linearibus subfalcatis, umbellis sublateralibus. S. longifolium *Pressl Dec. Prodr.* IV. p. 124. Circa Gothoburgum sat frequens (in Bohemia, sed Cel. Koch. omisit var. sat notabilem).

XXVI. b. CENOLOPHIUM (K. Umb. p. 105). Merocarpiorum juga media inflato-cava. Semen semiteres, in pericarpio sicco fere utriculari-nucleatum, in juniori quidem adnatum, sed maturum non nisi commissura et vittis utriculo cohaeret. Reliqua Cnidii, habitus vero potius Silai.

1 C. FISCHERII (Koch. Dec. Prodr. IV. p. 152). Ad litora maris albi occidentalis et borealis frequens, Keret, Kandalax etc. ♃. Jul. Aug. *Nyland! Sp.* 2 qui, speciem *lapponicam* differre monet caule petiolisque teretibus laevissimis, radiis umbellae scabriusculis, petalis obcordatis lacinula inflexa.

XXX. LIGUSTICUM. A speciebus Kochianis, dentibus calycinis obsoletis vel omnino nullis (margine calycis obsoleto) conspicue species nostra differt dentibus evidentibus persistentibus, ut peculiarem sistat sectionem Decandolleo. Graviorem vero discrepantiam offerunt merocarpia, semen maturum pericarpio non adnatum, sed nucleum liberum sistit. Hinc ad hodierna principia genere, insuper herba diversa confirmato, necesse separandum, quod HALOSCIAS appellatum vellem. Ligustici enim nomen, quod Liguriam ut Patriam respicit, huic tribuere non licet, sed exoticis speciebus sat bene convenit. *Levisticum* Linnaeo erat Ligustici typus.

2. b. HALOSCIAS SCOTICUM (Linn. Spec. 359 sub Ligust.) caule striato, foliis biternatis glabris subtus nitidis, foliolis

obovato-cuneatis apice inciso-serratis, involucellis linearibus. *Fl. Dan. t.* 207. *Sv. Bot. t.* 226. In scopulis ad littora Oceani a mari albo utque ad fretum Balticum (Öresund) in Kullaberg; etiam in Cimbria occidentali. ♃. Jul. Levisticum leviter redolet.

XL. ARCHANGELICA. Angelicae proprior, quam Haloscias Ligustico, quare *Ang. montana* etiam in Suecia obvia, sed a nostratibus haud specie distincta, passim cum hac confusa.

2 A. LITORALIS (Fr. Hall. p. 51) caule tereti sulcato, vaginis scariosis, umbella densa globosa, merocarpiis compressis obtusiuscule alatis. *Nov. Fl. Suec. p.* 80. *Drey. Saell. p.* 113. Ang. Archangelica *β. Wahlnb. Suec. n.* 314. Ad litora maris, etiam baltici, Scandinaviae fere totius. ☽ Jun. Jul. Planta obesa, saepe orgyalis, caule duro vulgo purpurascente, sapore crudo. Folia admodum lata, fere ternato-pinnata. Pedunculus apice cum pedicellis fere incano-velutini. — Arch. officinalis, nobis constanter alpina, gracilior est, vix ultra bipedalis, tota virens glabra l. pedicellis asperulis. Umbella rarior, hemisphaerico-patens. Vaginae omnes herbaceae, exceptis aphyllis in pedunculis lateralibus. Merocarpia maxime inflata, ut compressa facile collabantur, alis latis argutis. Hujus modo caules Lapponibus edules, grate aromatici.

XLVII. PASTINACA. Duplex nobis stirps silvestris, (*sativa*, foliis supra nitidis, subtus pubescentibus medium tenet locum) altera foliis utrinque glabris nitidis, altera foliis utrinque pubescentibus opacis. Haec, quae P. sativa silvestris *Nov. Fl. Suec. p.* 81. cum *P. opaca* prorsus convenit. Nascitur eodem solo et loco ac analoga *Pimpinella nigra.*

XLVIII. HERACLEUM. H. Sphondylium Linn. pr. p. et Koch in provinciis meridionali-occidentalibus, cum v. elegante, apud nos tantum lectum. Quod sub hoc nomine legitur in Suecia media omni, boreali, Finlandia (ut etiam Petropoli, teste Weinmanno) clare est forma latifolia *H. sibirici*, foliorum loborumque forma (saepe lineari, integerrima) omni modo ludentis. In *H. Sphondylio*, quod cultum habeo, petala cuneata apice triloba, lobo vero intermedio brevissimo inflexione obsoleto bifida apparent, seu profunde obcordata; in *H. sibirico* optimo vero ovato-lanceolata apicem versus attenuata et tota incurvata. Ad hoc pertinet H. angustifolium L. floribus aequalibus virescente-luteis, numquam albis rubellisve; sed occurrit planta inter praecedentes intermedia, quae H. angustifolium albiflorum Linn. Syst. Nat. ed. 12. II. p. 210, in ulterius examen notanda:

*H. SUECICUM, foliis scabro-hirsutis pinnatis, pinnis loba-

tis vel palmato-partitis subserratis, ovariis sparse pilosis, fructibus ovalibus obtusis glabris, petalis subaequalibus (albidis) ad apicem inflexum auriculatis (i. e. lobo intermedio angustiori, lateralibus latioribus). Cum H. sibirico in Suecia media, ubi deest H. Sphondylium, ut hybridum non fingas. Folia ut in formis angustifoliis H. sibirici, nec *H. Sphondyli* s. elegantis, saepe linearia. Fructus vero magis oblongi.

STELLATAE. Koch p. 338. Rubiaceae. Supr. p. 10.

V. GALIUM. Ad G. Mollugo v. clivale Fr. Nov. p. 25 pertinet *G. insubricum* Gaud. G. Aparine v. marinum l. c. p. 24 proxime accedit ad *G. tenerum* Schleich., quod etiam in Scandinavia legi; sed et hoc et *G. insubricum* meras esse varietates cultura comprobavimus. Bot. Not. 1842. p. 185. Galium Vaillantii, sine limite in G. Aparine transiens, in Suecia media et boreali G. Aparine ipsum fere excludit. — G. spurium L. ejusdem sistere varietatem ex analogia tam manifestum videtur, ut dubia contraria plerisque videantur temeraria. At per quadraginta facile annos his plantis, cultis et spontaneis singularem dicavi attentionem, nullos vero transitus expertus sum. G. spurium, suo loco inter Linum constans, in alia vero translatum semper immutatum persistit. Vidi pluries in loca, in quibus antea numquam visum fuit, casu seminibus translatum, dein persistens et multiplicatum. Sed, monente Decandolleo, duplex est *G. spurium*, quorum alterum fructibus nudis quidem sed impolitis manifeste ad *G. Aparine* pertinet; alterum vero linicolum fructibus *majoribus*, *laevissimis*, *politis*, *nitidis*, *succosis*, ut chartae adhaereant, diversum e nseo.

10 b. G. TRIFLORUM (Michaux Fl. Amer. bor. I. p. 80) foliis senis *oblongo-lanceolatis* mucronatis uninervibus margine *caulibusque* flaccidis prostratis tetragonis *retrorsum aculeato-scabris*, pedunculis fructiferis rectis, fructibus pilis uncinatis hispidis. *Fl. Dan. t.* 2045. G. suaveolens. *Wahlnb. Lapp. p.* 48. *Sv. Bot. t.* 669. G. bryophyllum. *Goldb. Weinm. Fl. Petropol.* Locis umbrosis subhumidis Sueciae borealis (in Ångermannia, Medelpadia); a Nordlandia Norvegica (Salten) per Norvegiam (Ringerige) usque ad Krokkleven prope Christianiam ♃. Jul. Habitus, modo laxior et magis elongatus et odor *Asperulae odoratae*, quare nomen Wahlenbergianum longe aptius est.

COMPOSITAE. Koch. p. 371. Synanther. Supra p. 1.

V. PETASITES. Vix ab hoc genere divellam:

4 b. P. FRIGIDA (Linn. Spec. p. 1214 sub Tussilag) foliis *triangulari-cordatis sinuato-dentatis incisis*, subtus petio-

lisque cinereo-tomentosis, *squamis scapi* ad medium *folii rudimento* terminatis, thyrso corymboso simplici, floribus femineis subligulatis. *Wahlnb. Lapp. p.* 208. *Fl. Dan. t.* 61. *Sv. Bot. t.* 680. Nardosma frigida. *Hook. Dec. Prodr. V. p.* 205. Locis uliginosis subalpinis Sueciae borealis (Jemtlandia, Angermannia, Dalekarlia etc.) rarior, in Lapponia et Norvegia frequentior. ♃ Majo, Jun. Praeter communem formam, Nardosmi generis, occurrit alia floribus eradiatis omnino Petasitis (var. β. *Wahlnb. Suec.*), quae una cum *P. spuria* satis evidenter horum generum unionem probat.

VII. ASTER. Insigne Florae arcticae decus:

3 b. A. SIBIRICUS (Linn. Sp. 1226 ex Nyland in litt) caule tereti 1-4-cephalo, sub capitulis albohirsuto subincrassato, foliis lanceolatis a medio ad apicem serratis glabris, subtus puberulis, involucri squamis lineari-lanceolatis hirsutulis apice coloratis radio duplo brevioribus. A. ircutianus *Dec. Prodr. V. p.* 229? *Nyl. Spec. l. p.* 26. Eximiam stirpem ad ripas glareosas lacus Imandrae (Lapp. Rossicae) ad Sascheika detexit *Nylander*! ♃. Jul. Aug. Caules digitales l. parum ultra, ubique foliosi. Folia sessilia, inferiora obovato-lanceolata subintegerrima, involucri squamae nunc patentes (subsquarrosae) nunc adpressae, apice leviter emarginatae e cyaneo violaceae et purpurascentes. Achaenia pilosula. Dubiis Auctoribus de *A. sibirico* et *tatarico* L. aegre absolute determinatus; neutrius descriptio apud Decandolle nostro convenit, perbene vero *A. ircutiani*. Hic a Cel. Ledebour ad *A. tataricum* L. fil. ducitur, qui a Cel. Neesio cum *A. sibirico* jungitur. Am. *Nylander* suum verum esse A. sibiricum sec. Mus. Petropol. per litt. testatur.

XII. ERIGERON. Cfr. Fr. Nov. Mant. III.

3. E. DRÖBACHENSIS (Fl. Dan. t. 874) caule tereti glabrato racemoso paniculatove-corymboso, *foliis elongato-linearibus integerrimis strictis* glabris, margine subciliatis, inferioribus in petiolum attenuatis, *involucris virentibus*, terminali majori, *radio erecto discum aequante* l. superante, floribus femineis interioribus filiformibus numerosis. *Koch.* l. c. cum syn. E. elongatus *c. Mant. l. c.* In regionibus montanis Norvegiae, Sueciae borealis et Lapponiae, saltim Lulensis! ☽, in horto ♃.! Jul. Aug. Valde affinis *E. acri*, at per plures annos in horto Upl. constans. Ab Erigero vero elongato *Ledeb.* ad *E. acrem angustatum* series exstat prorsus contigua, ut tres distinguere liceat formas: *elongatam*, foliis margine nudis; *vulgarem*, foliis pilis incurvis brevissimis et *angustatum* pilis longioribus patentibus ciliatis. Prorsus quoad staturam analogas

formas offert E. acris. Hunc verum esse *E. dröbachensem* neutiquam dubitamus, contestante e loco amic. Lund; ab optimo Blyttio vero sub hoc nomine simul accepi *E. politum*, quem hinc l. c. subjunxi; utrumque vivum in horto observans omnino diffines video. (In Herb. N. VIII spec. dextrum hic, sinistr. E. politus.)

4 b. E. RIGIDUS (Fr. Mant. III. p. 107) *hirto-scaber*, *caule* simplici *profunde sulcato* anguloso racemoso, foliis radicalibus obovatis in petiolum attenuatis, caulinis sessilibus oblongo-linearibus subtrinervibus strictis integerrimis, *involucris nigricantibus subglabris*, radio patente discum aequante l. superante, floribus femineis numerosis filiformibus. In subalpinis, Norvegiae occidentalis, in Filefjeld et Nordlandia lectus. ☽. Jul. Rigiditate totius plantae, caule sulcato pilis bulbosis scabro, involucro nigricante glabro (uno alterove pilo modo adsperso) facile distinctus, herba *E. Villarsii* subaccedens.

4 b. E. POLITUS (Fr. in Bot. Not. 1843. p. 120) *glabratus*, caule leviter angulato laevi racemoso corymbosove, foliis lanceolatis glabris integerrimis serratisve, radicalibus subovalibus in petiolum attenuatis, involucris aequalibus nudis, *radio patente disco duplo longiori*, floribus femineis interioribus filiformibus numerosis. E. glabratus *Hook.! Fl. Bor. Amer.* II. p. 18. non Hoppe. E. Villarsii *Hartm. Sc. 5. p. 197.* non Auctt. E. elongatus var. *Mant. l. c.* Per alpes Norvegiae in Finmarkiam (Lund) sat frequens, raro in Suecia boreali (in Herjeådalia a Cel. *Thedenio* detectus.) ♃. Jul. Aug. *E. alpino* proximus, at longe speciosior; admodum glabratus ne involucro quidem hirsutus! Habitus potius E. DRÖBACHENSIS, et in horto paniculato-ramosus evasit, sed radio maxime conspicuo (ligulis elongatis densis omnino generis Stenactis) maxime diversus. *E. glabratus* Hoppii cum *E. unifloro* comparandus; pumilus est, floribus femineis omnibus ligulatis.

7. E. UNIFLORUS. Sub summo arctoe variat: —*pulchellus*, involucro densissime purpureo-, chalybaeo-, fuliginoso-lanato. E. pulchellus. *Dec. Prodr. V. p. 287.* pr. p.

XIII. SOLIDAGO. Reliquis varr. nobilior est:

2. S. VIRGAUREA — *litoralis* (Fr. Mant. III. p. 105) *foliis* radicalibus dense in caespitem congestis *carnosulis* obovato-lanceolatis *integerrimis*, caule simplici, racemo coarctato, capitulis majusculis. In taeniis Calmariensibus v. c. in Örö. Cum *S. littorali* plurimis convenit notis, verum folia glabra crassiora, glaucescentia. Ulteriori examine dignissima est; pauca modo vidi specimina sicca.

XXVI. FILAGO. In Ledebourei Fl. Rossic. *F. minima* inter stirpes Fennicas recensetur, verum nec in Suecia media nec in Fennia nascitur; Botanici enim Fenniae, ut Sueci, sub *F. montana* semper intellexerunt veram Linnaeanam plantam i. e. vere silvestrem (nec arvensem) statum F. montanae. *Linn.* et *Wahlnb.* (F. arvensem. Auctt.)

XXVII GNAPHALIUM. Antennariae genus, a nobis receptum, magis naturale nobis visum est, quam Helichrysii:

8 b. G. ALPINUM (Linn. Spec. p. 1199.) *sarmentis prostratis* radicantibus, caulibus simplicissimis, apice corymbosis, foliis radicalibus spathulatis subtus niveo-tomentosis, caulinis lineari-lanceolatis adpressis, *foliolis involucri glabris fuscis* masculi obtusis apice dentato-laceris, *feminei acuminatis serrulatis* squarrosis. *Wahl. Lapp. p.* 202. *Reich. Ic. VIII t.* 750. Per alpes Scandinaviae totius (mascula planta rarissima, a Laestadio tantum lecta in Lapponia Tornensi): sed arctica planta per Europae mediae alpes omnino deest. ♃. Jun. Jul. Huic, ut omnibus nostris Antennariis, duplex forma, altera *conglomerata*, corymbo denso; altera *corymbosa*, multiplo major, corymbo multifloro, pedunculis elongatis fastigiatis. *Gn. carpathici* formam conglomeratam pro G. alpino describit Dec. . Forma corymbosa G. dioici est *Ant. hyperborea* Engl. Bot. — Hujus folia variant quoque utrinque albo-tomentosa. Cfr. Nov. Mant. III. p. 102.

XXIX. ARTEMISIA. Nobilissima nostratium est:

7 a. A. NORVEGICA (Fr. Nov. p. 265) *caulibus* caespitosis, floriger is adscendenti-erectis *simplicissimis*, *foliis petiolatis palmato-quinquepartitis* subtus *pilosis*, laciniis multifidis linearibus, floralibus sessilibus, pedunculis alaribus racemosis elongatis, capitulis (maximis) hemisphaericis nutantibus, involucri squamis membranaceis fusco-marginatis laceris. *Reich. Ic. I. t.* 89. *Dec. Prodr. VI. p.* 119. at a me primo distincta et descripta; Cfr. *Hornem. Oec. Pl. p.* 81. A. rupestris *Fl. Dan. t.* 801. In alpibus Dovrensibus Norvegiae copiose. Cum nulla Europaea comparanda (sed in Rocky Montain Amer. borealis eadem, ex Hook.) ♃. Aug. Sept. — Hanc 1814 ab Hornemanno pro *A. rupestri* accepi eodemque anno distinxi, in Liljebl. Sv. Fl. 1816 primus sub hoc nomine descripsi.

XXXVI. MATRICARIA. Characterem hujus generis in receptaculo cavo positum nimis esse fallacem et relativum in Bot. Not 1842 et Nov. Mant. III. p. 114 plenius exposui. Quale loco citato proposui cum nuper distincto Tripleurospermo *Schultz, Koch. syn. III.* collidit. *M. Chamomillam*, ad idem genus naturale pertinere censui, ut speciem, ob achaenia minus

evoluta, atypicam, nam costae illae ternae achaeniorum ancipitium in uno latere prominent.

2. M. maritima (Linn. Spec. p. 1256), foliis sessilibus bipinnatifidis, laciniis oppositis filiformi-compressis, involucri squamis oblongis *margine pallido integerrimo*, ligulis nervoso-striatulis apice rotundatis integris dentatisve. *Nov. Mant. III. p.* 115. *Raj. Syn. t. 7. f.* 1.! In scopulis ad mare occidentale, rarior. ☽. Qualem hanc per longam annorum seriem in Horto Lundensi, nunc in Upsaliensi cultam vidi tam conspicue differt a *M. inodora*, eisdem locis spontanea, ut earum unione numquam sit sermo. Ill. *Gay*, sollertissimus *harum* plantarum scrutator, nostram quoque genuinam *Rajanam* agnovit. Character ejus essentialis positus est in squamarum margine pallido integerrimo, qui in *M. inodora* semper lacero-vulgo fusco-marginatus. Descriptio in Koch. Syn. III. data cum mea haud bene convenit. — Monente in litt. Cel. Gay duae in Scandinavia exstant species sub M. maritima confusae.

XXXVII. CHRYSANTHEMUM. Cfr. Obs. sub genere pr. Distinctio *Leucanthemorum* e pappo fallax est; legi quoque hoc anno *C. leucanthemum* pappo unilaterali (L. auriculatum *Pett.*), a vulgari planta ceterum haud diversum.

1 b. C. arcticum (Linn. Spec. p. 1254) *foliis* inferioribus cuneatis apice subtrilobis *superioribusque*, linearibus indivisis, *integerrimis*, involucri squamis ovalibus ex maxima parte nigricanti-scariosis, achaeniis omnibus coronula destitutis. *Nyl. Spic. II. p.* 10. *Ledebour Fl. Ross. II. p.* 125. Ad rupes maritimas juxta tres insulas Lapponiae Rossicae orientalis. ♃. Sept. Planta salina, carnosa, humilis, monocephala, capitulis fere Chr. Leucanthemi. Nostra, ex Nylander l. c., sibirica multo minor foliisque integerrimis distincta, quare var. integrifolia. *Nyl. l. c.*

8 b. C. bipinnatum (Linn. Spec. p. 1253) caule erecto simplici, foliis pinnatis villoso-incanis, foliolis pinnatifidis, laciniis lanceolatis acutis integris dentatisve, involucri squamis membranaceo — et fusco-marginatis, *radio disco breviori* (*luteo*) concolori. *Gmel. Sib. t. 83. Nyl. Spic. II. p.* 11. *Ledeb. Ross. II. p. 557.* Pyrethrum. *Willd. Dec.* In apricis siccis ad Kosminnos Lapponiae Rossicae orientalis. ♃. Sept. Planta villosa, mono — l. oligocephala, habitu Tanaceti. In Lapponica planta quoque, teste Nylander l. c., radius minus conspicuus, quam in planta sibirica et saepe deficiens. Pappus coroniformis.

XLI. ARNICA. Eximia nobis arctica species:

1 b. A. alpina (Murray Syst. Veg. ann. 1774!) foliis radicalibus *lanceolatis acutis trinervibus*, caulinis geminis, caule

monocephalo, pedunculo involucroque albo-lanatis. Linn. Lapp. n. 305. *Olin Monogr. Arnic. Upsaliae 1799. Wahl. Suec. n. 941. Sv. Bot. t. 699.* A. angustifolia *Fl. Dan. 1524.* In campis siccis alpinis Lapponiae Pitensis ad Kåbrenoive, Lulensis pluribus locis, Tornensis in alpe Kåbdåvauka (*Laest.*); in Finmarkia ad Tromsö (*Blytt.*), rara planta. ♃. Jul. Apud nos vix umquam spithamaea, sed in aliis arcticis regionibus elatior. Folia variant integerrima et denticulata; tota planta eglandulosa. Cave ne hanc fingas sistere specimina pumila uniflora et angustifolia *A. montanae*, in montibus australibus obvia.

XLIII. CINERARIA. C. campestris in Scaniae campis parum variat, sed per Lapponiam orientalem abit in formas a *C. aurantiaca*, *alpestri* aliisque vix discernendas, hinc *C. alpinam* L. servavi et *C. campestrem* huic subjunxi, donec certiores limites indagentur. — Ceterum Cinerariae nostrae tam a Senecionibus, quam Cinerariis genuinis, sensu Lessingii, et Capensibus, sat conspicue differunt et sub novo generico nomine proponendae.

XLIV. SENECIO. De Senecione denticulato Cfr. Koch. syn. III. add. — Dubia de S. sarracenico L., qui ex planta typica Linnaei adhuc viva superstite omnino idem ac Kochii, omnino frustranea sunt. Varietas singularis Sen. erucifolii *pygmaea* in Nov. Fl. Su. p. 267.

XLVII. CIRSIUM. Felices praedicemus Botanicos Scandinaviae, qui Cirsiis illis hybridis non infestantur, praeter C. decoloratum (Koch., C. acaulis v. rigens. *Fr. Nov. p.* 264) quod vero apud nos potius tanquam varietas, quam hybriditas apparet. Suis enim locis, humidis magis et umbrosis, sat copiosus est, saepe prorsus acaulis, ut nullam omnino notam a C. acauli, etiam caule oligocephalo vario, praebeat praeter colorem florum.

At inter Cirsium lanceolatum et Carduum nutantem Upsaliae vidi specimen prorsus intermedium, utroque parentum speciosius, characteribus Cirsii lanceolati, tota vero facie Cardui nutantis, capitulis maximis hemisphaericis. — Ejusmodi plantas proprio nomine et descriptionibus vix dignas censeo, ut de Pelargoniis hybridis omnes *Botanici* consentiant, nam omne mere *accidentale* ad Systema plantarum non pertinet.

LXXIV. LEONTODON. Praeter var. L. autumnalis pratensem s. nigrolanatam, habemus prorsus analogam aeque insignem, scapis vero superne incrassatis *involucrisque albo-lanatis*. Ad mare occidentale, v. c. Varberg, passim. Ex unico

specimine florente haud dixerim utrum huic an potius ob flores aurantiacos et capitula cernua L. pyrenaico proprior sit:

*L. KERETINUS, "radice praemorsa, foliis elongato-lanceolatis, interioribus grosse dentatis, exterioribus subintegris, scapo 1-2-cephalo una cum *pedunculis sursum incrassatis nutantibus*, involucri squamis fusco-lanatis, ligulis convolutis aurantiacis" *Nyl. Spic. I. p* 24. In pratis juxta fluvium ad pagum Keret prope mare album. ♃. Jul. Squamae inv. interiores apice albae

LXXXIX. MULGEDIUM. Planta subarctica, orientalis:

2 b. M. SIBIRICUM (Linn. Spec. p. 1118) capitulis corymbosis, pedunculis glabris squamosis, *foliis* sessilibus subamplexicaulibus *lanceolatis* denticulatis, radicalibus subruncinatis, achaeniis oblongis *rostro brevissimo*. Gmel. Fl. Sibir. II. t. 5. A. B. *Wahlnb. Lapp. n.* 358. In nemoribus humidis juxta fluviorum ripas in Fennia et Suecia boreali-orientali (Medelpadia, Angermannia); in Lapponia Kemensi et Tornensi, nec non Finmarkia maxime orient. ♃. Aug. Politior, strictior *M. alpino*; sed exstat forma foliis omnibus runcinatis — et ex hanc ortum censeo S. *lapponicum*.

CREPIS. "Involucrum ventricoso-torulosum, squamis inaequalibus imbricatis, basi bracteatum. Achaenia fusiformia, sursum attenuata et in stipitem saepe producta. Pappus mollissimus, deciduus". Hic a nobis in Bot. Not. 1842. p. 182 datus character synopticus includit Barkhausias, teste jam Kochio ipso haud distinguendas; excludit vero species pappo rigido (v. c. Cr. paludosam e nostratibus, meo sensu aegre ab Hieraciis divellendam) et Intybi genus Fr. Nov., quod sic l. c. definio:

INTYBUS. Involucrum cylindricum, squamis uniserialibus aequalibus, basi calyculatum. Achaenia linearia truncata. Pappus sessilis, mollissimus (quod in Nov. verbo "levissimo" indicatum volui) deciduus. Scapigeri, ut Intybus praemorsus etc. l. caulescentes, ut Int. pulcher etc.

HIERACIORUM Scandinaviae plenior, quam praesentis synopseos limites h. l. inseri permittant, at peculiaris dabitur expositio.

CAMPANULACEAE. Koch. p. 552. Supr. p. 11.

III. CAMPANULA. Accedit unica species arctica:

15 a. C. UNIFLORA (Linn. Spec. p. 231) *foliis* glabris *inferioribus oblongis subcrenatis*, superioribus lineari-lanceolatis integerrimis, fasciculorum sterilium subpetiolatis ovalibus, *caulibus* adscendentibus *unifloris*, *flore cernuo*, capsula (ba-

si dehiscente) turbinata arrecta. *Linn. Lapp. t. 9. f. 5, 6. Wahlnb. Lapp. p. 63. Sv. Bot. t. 526. Fl. Dan. t. 1512.* In alpium lateribus graminosis, copiosa in Lapponia Lulensi, in Pitensi et Tornensi, et Dovre Norvegiae rarior. ♃. Jul. Aug. Ut multae plantae arcticae sub anthesi brevis et laxa, fructifera vero erigitur, strictior, superne leviter pilosa. Corolla parva, angustata, laciniis calycis ciliatis paulo longior, azurea.

ERICINEAE Koch. p. 546. Supra p. 49.

III. ANDROMEDA. Species accedunt duae arcticae:

3. A. TETRAGONA (Linn. Spec. p. 565) *pedunculis lateralibus* elongatis *solitariis*, foliis oppositis sagittatis muticis subtriquetris quadrifariam imbricatis, corolla campanulata. *Linn. Lapp. t. 1. f. 4. Fl. Dan. t. 1030. Wahlnb. Suec. n. 451.* Cassiope. *Dec. Prodr. VII. p. 611.* In campis sterilibus alpinis Lapponiae praecipue borealis, Nordlandiae et Finmarkiae. ♄ Jun. Jul. Frutex ericoideus, pedalis et ultra. Folia glabra l. pilosa, marginibus revolutis. Flores albi, antheris longe bisetis.

4. A. HYPNOIDES (Linn. Sp. p. 565) *pedunculis terminalibus solitariis, foliis* inordinatis confertis planiusculo-*subulatis*, corolla globoso-campanulata. *Linn. Lapp t. 1. f. 3. Fl. Dan. t. 10. Wahl. Lapp p. 108.* Cassiope. *Dec. l. c.* Locis asperis alpinis frequens. ♄ Jul. Fruticulus minimus, musciformis, sempervirens, foliis acerosis glaberrimis. Corolla albo-incarnata, siccitate lutescens; antheris breve bisetis.

VI. b. PHYLLODOCE (Salisb. parad. — Dec. Prodr. VII. p. 702.) Calyx 5-partitus. Corolla ovata, ore constricto 5-dentato. Capsula 5-locularis, 5-valvis septicido-dehiscens. (*Menziesia* tetramera est.)

1. P. COERULEA (Linn. Spec. p. 565 sub Andromed.) pedunculis terminalibus aggregatis glanduloso-pilosis, lobis calycinis lanceolatis acuminatis, antheris filamento glabro triplo brevioribus. *Linn. Lapp. t. 1. f. 5. Fl. Dan. t. 57.* Menziesia coer. *Wahl. Lapp. p. 105. Sv. Bot. t. 535.* Phyllodoce taxifolia. *Salisb., Dec. l. c.* Admodum copiosa per omnes alpes et in summo septentrione in montibus subalpinis, locis aridis exsuccis. ♄. Jul. Frutex ericoideus (Ericae spec. *Willd.*), pedalis circiter, sempervirens, foliis (ut in congeneribus) inordinatis confertis lineari-obtusis denticulatis subacerosis, sed corolla purpureo-coerulea recedens, quare nomen Linnaeanum utique servandum.

VII. RHODODENDRON. Species Eur. mediae desunt.

3 b. R. LAPPONICUM (Wahl. Lapp. p. 104) foliis ellipticis obtusis foveolatis glabris lepidoto-punctatis integerrimis, pedunculis terminalibus umbellatis, corolla infundibuliformi, ramis procumbentibus divaricatis. *Sv. Bot. t. 481.* Azalea Lapponica. *Linn. Lapp. t. 6. f. 1. Fl. Dan. t. 966.* Locis elatis asperis in alpibus Lapponiae tantum borealis, a Lulensi ad Finmarkiam, rarius; unico modo Norvegiae mediae loco in Guldbrandsdalen ceterum lectum. ♄. Jun. Jul. Multo magis depressum et macrum quam Rhododendra alpium Europae mediae, foliis annuis haud sempervirentibus, floribus exiguis violaceo-rubris.

GENTIANEAE. Koch. syn. p. 571. Supra p. 16.

VI. GENTIANA. Paucae nobis species; accedunt duae:

22 b. G. INVOLUCRATA (Rottböll Act. Hafn. X. p. 434. t. 1. f. 2.) caule erecto tetragono ad basin ramoso, radice simplici, foliis radicalibus oblongis, caulinis ovatis acutis involucrantibus flores aggregatos, corollis subquinquefidis infundibuliformibus, fauce nuda, laciniis acuminatis. *Wahlnb. Lapp. p. 67.* G. quinquefolia. *Fl. Dan. t. 344.* G. aurea. *Linn. Sp. p. 331.* nomen ex synonymo Barrelieri prorsus falsum, "necesse rejiciendum" *Whlnb.*! Locis graminosis ad litora maris septentrionalis a Trondhjem ad mare album frequens; semel Umoae ad sinum bottnicum obvia. ⊙. Jul. Aug. Caulis proprie simplex, basi cinctus cauliculis brevioribus gracilioribus. Flores terminales subcapitati pluribus foliis cincti, sed ex unico foliorum caulinorum pari exseruntur quoque flores pedunculati. Corolla alba, at variat in summo septentrione cum bracteis coerulescens.

30 b. G. SERRATA (Gunn. Norv. n. 819. t. 2 f. 3-5) caule stricto tetragono pedunculis elongatis subramoso, radice simplici, foliis linearibus distantibus, calyce inaequali, *corolla* subquadrifida hypocrateriformi *serrata*, fauce simplici nuda. *Fl. Dan. t. 317. Wahl. Suec. n. 276.* G. detonsa *Rottb. l. c. t. 1. f. 3.* Locis graminosis humidis ad oceanum septentrionalem per Nordlandiam et Finmarkiam, hinc inde. ⊙. Jul. Aug. Species singularis, nulli germanicae rite affinis. Flores solitarii, terminalis major elongatus, usque uncialis, laterales multo minores.

POLEMONIACEAE. Koch. p. 567. Supr. p. 15.

II. DIAPENSIA. (Linn. Gen. n. 194.) Calyx 5-partitus, extus tribacteatus. Corolla hypocrateriformis, tubo cylindrico, limbo quinquefido plano. Filamenta tubum terminantia. Stigma simplex. *Wahlenb. Lapp. p. 58. t. 9. f. 1.* — Genus familia naturali incertum, valde singulare; nulli vero meo sensu

propius quam Polemoniaceis, licet etiam ab his essentialibus notis differat. Mallem potius novam hujus tribum, quam novam familiam.

1. D. LAPPONICA (Linn. Sp. p. 202. Lapp. t. 1. f. 1.) Locis apricis, ventosis, aridis per omnes facile alpes Scandinaviae, in Finmarkia ad litus marinum descendens. ♃. Jul. *Fl. Dan. t. 47. Sv. Bot. t. 517.* Planta valde caespitosa, depressa, sempervirens, foliis lingulatis perennantibus; radice tamen molli, nec lignosa. Pedunculi solitarii, uniflori, unciales, corolla alba. Cfr. admirabilem in Whlnb. Fl. Lapp. expositionem.

CONVOLVULACEAE. Koch. p. 568. Supr. 11.

II. CUSCUTA. C. europaeae simillimam plantam copiosissime legi in Vicia sativa (ad Lindberg prope Varberg Hallandiae), in cujus floribus squamulae tubi absolute deerant. C. europaeam, valde ceterum vagantem, tantum in plantis perennibus vidi. Ulterius inquirenda; ut varietatem *nefrentem* supra notavi.

4 b. C. HALOPHYTA (Fr. Nov. Mant. I. p. 8.) caule simplici, glomerulis multifloris subbracteatis, *corollae tubo globoso limbum aequante*, basi rotundato. *Blytt. Stirp. Christian. Lund. Christian. p. 50.* In plantis marinis succulentis, Chenopodiaceis, Euphorbia palustri etc. prope Christianiam Norvegiae etc. ⊙. Jul Aug. Characteres fere C. *epilini*, sed habitus *C. europaeae*; caules succulenti et flores purpurei. Similem at tenuiorem in Gottlandia legit P. C. Afzelius.

BORAGINEAE. Koch. p. 570. Supra p. 12.

X. SYMPHYTUM. A Willd. etc. homonymo differt

1 a. S. ORIENTALE (Linn. Spec. p. 195) *caule* solido *tereti* retrorsum hirto, *foliis* omnibus alternis ovato-oblongis *leviter decurrentibus*, radicalibus cordato-ovatis, corollae limbo cylindrico glabro quinquefido, tubum superante, antheris filamento brevioribus. S. patens. *Mant. II. p. 13.* Locis graminosis subhumidis, copiose plurimis locis Uplandiae, maxime orientalis Sueciae provinciae. ♃. Jun. Aug. Medium inter *S. officinale* et *S. asperrimum*; folia, saltim inferiora in petiolum, alatum tamen et decurrentem, attenuata. Flores coerulei. E planta Linnaeana, in Horto antiqu. Linnaeano nunc spontanea, de synonymo certus sum.

XIV. STENHAMMARIA (Reich. Fl. Exc. 337. Endl. Gen. p. 647. Contra orthographiam Steenhameria). Nuces 4, liberae, triquetro-pyramidatae, basi gibba. *Pericarpium* membranaceum, scariosum, *vesiculoso-inflatum*, ut semen tertiam cavi-

tatis partem non expleat. Corolla, medio constricta et *fornicibus 5 semiclausa*, ore quinquelobo. Character ab Auctoribus datus a planta nostra longe alienus, nec Pulmonariae, neque Lithospermo rite affinis. Cfr. *Düben in Botan. Not. 1843 p. 75.*

1 S. MARITIMA (Linn. Spec. p. 195 sub Pulmonar.) glabra, caulibus procumbentibus apice ramosis, foliis oblongis carnosis glaucis superne scabris, corolla subcylindrica. *Fl. Dan. t. 25.* Hippoglossum maritimum. *Hartm.* Ad litora glareosa maris septentrionalis frequenter, indeque passim secus occidentale usque ad Hallandiae fines, inque Jutlandia occidentali. ♃. Jun. Jul. Nuculae majores quam in ulla alia Boraginea indigena, calyce grandefacto longiores. Fornices *flavi* affinitatem cum Myosotide indicant.

VERBASCEAE. Koch. p. 586 Supr. p. 17.

1 VERBASCUM. 5 PHLOMOIDES Schrad., saltim specimina a me visa, potius sistit varietatem *V. Thapsiformis*, quam V. phlomoides L., quale scilicet sub hoc nomine apud nos antiquitus cultum, et inquilinum. *Nov. Mant. I. p. 29.* Diagnosis in genere quidem convenit, conspicue tamen recedit (ad V. virgatum) *florum fasciculis remotis* et speciem a V. Thapsiforme diversam sine dubio sistit. Cfr. *Lindbl. in Vet. Ac. Handl. 1830.*

8, 9. V. SEMINIGRUM (Fr. Nov. p. 69), charactere *filamentis ad dimidium fusco-purpureo-lanatis*, est nomen collectivum variarum hybriditatum. Has, quamvis ut accidentales et fugaces, suis locis vix persistentes, minus curem et in Systemate Vegetabilium haud magis quam monstrositates respiciendas fingam, ob frequentiam seorsim notavi, licet inter ipsas limites haud reperiam, ut existere hybriditates hybridarum ad credendum cogar. Forma nobis primaria est *nigro-thapsus*, V. Thapso indumento denso, floribus confertis simillima, cujus specimen a me missum pro hybrida prole *V. Thapsi* declaravit d. Schrader in *Verb. Monogr.* II. At absque certis limitibus abit hinc in *V. thapso-nigrum* (habitu V. nigri, virens, florum minorum fasciculis remotis), illinc in *V. nigro-thapsiforme* (habitu V. Thapsiformis, hujusque foliis acuminatis et antheris distinctum). Omnes hae formae in Ölandia promiscue nascuntur, ubi in hoc genere regnare videtur concubitus promiscuus. — In Horto Upsaliensi vidi individua hybrida, solitaria, e V. nigro et Lychnite orientalique casu orta. Speramus brevi fore ut Botanici in operibus Systematicis negligant hybriditates, ut inter Pelargonia etc. jam factum est. Nemo cautus tamquam species di-

stinguit plantas in natura *copiosas* et constantes haud observatas.

OROBANCHEAE. Koch. p. 612. Supr. p. 19.

1. OROBANCHE. In septentrione valde rarescunt.

11. O. MAJOR (Linn. Suec. n. 561) sepalis bifidis binervibus, corolla tubulosa dorso arcuata, *labiis porrectis*, *superiori crenulato-crispo*, inferiori tricrenato, filamentis infra medium insertis, latere exteriori pilosis, stylo pilosello, stigmatis lobis globosis glabris. *Wahlnb. Suec. p. 380. Sv. Bot. t. 568. Fr. Mant. III. p. 57* ubi plene descripta! O. elatior. Sutton — *Engl. Bot. 568* omnino nostra. In Dania et praecipue Scania ad radices Centaureae Scabiosae, et forsan Jaceae, at in nulla alia planta, plurimis locis. ♃. Jul. Planta Linnaeana certissima, quare nomen bonum servamus. Neque dubitamus nostram identicam esse cum O. stigmatode *Koch l. c.*, ut ingenuus Auctor (*Wim. Sil. 2. p. 30*) ipse observat.

11. b. O. CIRSII (Fr. Mant. III. p. 58) sepalis uninervibus simplicibus, corolla ventricoso-arcuata ringente, *labio superiori bifido laevi*, inferiori deflexo profunde trilobo, staminibus prope basin insertis styloque glabris, stigmatis lobis explanatis glabris. In radicibus Cirsii heterophylli (nec in alia planta) in monte Mösseberg Vestrogothiae quotannis satis copiosam legit *Mathesius*. ♃. Jul. Aug. Corolla flava, quae in priori ferrugineo-rufa. Primo appellavi *O. comosam*, ob spicam saepe bracteis sterilibus comosam; sed speciebus definitam inhabitantibus plantam optima videntur nomina a statione sumta nec magis harum usus tollitur, si in alia planta legantur, quam v. c. *europeae*, ad plantas in adjacenti Asia etc. obvias.

RHINANTHACEAE. Koch p. 620. Supr. p. 19.

III. PEDICULARIS. Alpinae apud nos a Germ. diversae.

9 b. P. LAPPONICA (Linn. spec. p. 847) corollae labio superiori rostrato hiante, rostro falcato, calyce bilobo glabro, lobis obtusis 1-2-dentatis capsula acuminata duplo brevioribus, caule simplici basi aphyllo, apice dense spicato, foliis subsessilibus lanceolatis pinnatifidis serratis. *Linn. Lapp. t. 4 f. 1. Wahl. Lapp. p. 167. Fl. Dan. t 2. Sv. Bot. t. 750.* Per alpes et campos steriles subalpinos Scandinaviae totius vulgaris; etiam locis depressis paludosis sub zona arctica. ♃. Jul. Est e Rostratis, at a Germanicis longe distat. Radix simplex, Flores condensati, horizontales, luteo-pallidi.

19 a. P. FLAMMEA (Linn. Spec. p. 846) *glaberrima*, corollae labio superiori recto, apice inflato-rotundato obtusissimo edentulo, inferioris laciniis sublinearibus, calyce tubuloso-campanulato 5-dentato, dentibus lineari-acuminatis rectis, bracteis flore brevioribus, caule simplici, foliis petiolatis pinnatis, pinnis ovalibus retroimbricatis dentatis. *Linn. Lapp. t. 4. f. 2. Wahlnb. Lapp. p. 168. Fl. Dan. t. 1878.* Locis paludosis et irriguis alpium borealium Lapponicarum, Lulensis praecipue et Tornensis, reliquis rarior. ♃. Jul. Radix multiplex, vulgo multicaulis. Flores fulvi, 4 lin. circiter longi, galea atropurpurea genitalia includente. Differentias hujus et sq. exposuit *Koch D. Fl. IV. 380.*

19 b. P. OEDERI (Vahl. Horn. Plantel. 3 p. 674) corollae labio superiori arcuato, apice inflato-rotundato incurvo glabro subapiculato, inferioris laciniis subrotundis, calyce tubuloso-campanulato cum bracteis subvilloso quinquedentato, dentibus lanceolatis acutis rectis, caule simplici, foliis pinnatis, pinnis ovalibus serratis superioribus retroimbricatis. *Hartm. Scand. 4. p. 199.* P. flammea. *Fl. Dan. t. 30.* P. versicolor. *Wahl Suec. n. 694.* Locis irriguis in alpibus australioribus, Norvegiae copiose, Sueciae borealis (Herjeädalia, Jemtlandia) passim; nec in Lapponia lecta. ♃. Jul. P. flammea elatior subspithamaea, floribus 6-8-lin. longis aureis, galea apice modo purpurea vel tantum utrinque macula purpurascente, interdum evanescente, notata. Calyces variant glabri, sed filamenta pilosa; stylus apice recurvus, vulgo exsertus. — *P. virescens* Wahl. Suec. n. 795 est varietas luxurians, spica inferne foliosa, floribus pallidioribus.

19 c. P. HIRSUTA (Linn. Sp. p. 847) corollae labio superiori erecto, apice curvulo rotundato edentulo, inferioris laciniis ovalibus, calyce tubuloso-campanulato villoso 5-dentato, caulibus simplicibus superne albovillosis sparsifloris, foliis radicalibus pinnatis, caulinis pinnatifidis, pinnis distinctis patentibus. *Linn. Lapp. t. 4 f. 3. Wahl. Lapp. n. 311. Fl. Dan. t. 1105.* Locis uliginosis irriguis alpium Lulensium et Tornensium, nec non Norvegiae centralis, sed alpes maritimas ubique fugit. ♃. Jul., ceteris praecocior. Multicaulis, florens digitalis, fructifera elongata. Corolla unicolor, rosea.

IV. RHINANTHUS. Verus R. villosus in Scandin. non obvius, sed duae propter seminum characteres notabiles (plantae ipsae autem ex externa facie discerni nequeunt) varietates notandae:

R. MAJOR — *stenopterus*, subpubescens, ala seminum an-

gustiori. Rh. major *Babingt. Man. Brit. p. 221.* Solo calcareo vel rigide argillaceo. Semina R. villosi!

— *apterus*, laevior, seminibus *exalatis*, arillo in ambitu rotundato-obtuso longitudinaliter striato-rugoso. R. Reichenbachii. *Drey. Saell. p. 210.* In provinciis occidentalibus macris. Cfr. *Fr. Mant. III. p. 60.*

VII. EUPHRASIA. Odontitis genus non quidem notis momentosis differt, at cum plurimis recepi ob faciem corollae diversam, cum *duo illi typi nullis formis mediis jungantur.* — Euphrasiae officinalis innumeras formas in definitas reducere species difficillimum est; sincere, et frustra studui nostras tam inter duas Kocheanas, quam quattuor Reichenbachianas dispescere. Duas tamen latere species, cum Rh. majori et minori analogas, nobis persuasum est, easque *pro tempore* sic definio:

1 E. OFFICINALIS (Linn. Spec. p 841) foliis ovatis utrinque quinquedentatis, *bracteis cordato-triangularibus* dentibus subulato-mucronatis, corollae fauce pilosa, *labio tubum superante*, galea demum revoluta, capsula sursum dilatata emarginata. In pratis et pascuis, siccis et humidis, Scandinaviae totius vulgaris. ⨀. A Majo in serum autumnum. Statura, indumento etc. maxime varia, at corolla sq. semper duplo major. Var. *villosa* (Rhinanthi instar villosi) in septentrione deest.

*E. PARVIFLORA, foliis ovatis utrinque 3-5- serratis, *bracteis cordato-ovatis*, dentibus cuspidatis, corollae fauce subnuda, *labio tubum aequante*, galea demum revoluta, capsula sursum rotundato-angustata vix emarginata. Similibus cum praecedente locis, aestivalis et autumnalis ⨀. Variat fere ut praecedens (utriusque occurrunt formae curtae, imbricatae etc.), sed flores magis serotini et semper conspicue minores. Hujus et prioris varr. primariae supra indicatae.

2 b. E. GRACILIS (Fr. Litt. Tidn.) foliis oblongo-lanceolatis utrinque tricrenatis, *bracteis basi cuneatis*, corollae fauce glabra, *tubo labium conspicue superante*, galea porrecta, capsula lineari-truncata. *Fr. Mant. III. p. 62.* cum syn. Ad latera montium, in campis aridis exsuccis praecipue Gothiae occidentalis et Jutlandiae copiosissima. ⨀. Aug. Sept. Haec potius *E. salisburgensi*, quam praecedd. affinis; ab his toto variationis typo recedit. Semper elongata, gracilis, stricta, autumnalis, exunte Julio primo florens. Corolla exigua, tota vulgo amethystina, sed variat albida; ob tubum elongatum gracilem bracteas superat.

3. E. odontites. Planta apud nos numquam verna est; sed autumnalis, ad glacies et nives continue florens. Hinc *d. Dreyer* hanc pro *E. serotina* proposuit; at non dubitamus nostram communem arvensem l. pratensem plantam esse *E. Odontit.* Koch, licet huic subscribatur O. verna. Caule ramosissimo, racemis virgineis apice cernuis, foliis angustioribus, bracteis flore longioribus e. s. p. ab O. *litorali* facile dignoscitur.

E. litoralis a planta arvensi et continentali constanter diversa quamquam valde affinis stirps, in pratis salsis, marinis, hieme subinundatis Scaniae praecipue et ad mare balticum frequens et copiose obvia, caule vel simplicissimo l. ramis paucis *strictis* virgato, racemo arrecto, foliis latioribus brevioribus carnosulis, bracteis flore purpureo brevioribus, capsula exserta. Haud male in definitionem *E. serotinae* quadrat, sed aestivalis est nostra planta semper salina, et deflorata perit. Hinc a Dreyero *E. verna* Fl Saell. p. 211. dicta est, nec Reich.! Fl. Germ. n. 1450 obstat. Omnes vero has contradictiones in praesente non solvere, tantum indicare licet; utramque vero nostratium ab *E. serotina* vera! diversam censeo.

LABIATAE. Koch syn. p. 630. Supra p. 15.

IV. MENTHA. Cfr. Fr. Nov. p. 177—190. Mant. III. p. 56, 57, quare observationes ibidem datas haud repetem. In genere cum Cel. Kochii expositione recentiori nostra quoque congruit, sed *M. silvestris* et *M. viridis* in Scandinavia, quamvis utraque canescens et glabrato-viridis variet, haud abnuente Kochio, constanter differunt, *Menthamque Nepetoidem*, a me M. aquaticae subsumtam, speciem agnoscam. — At genuinam *M. rubram* a Kochio numquam visam censeam, nam cum *M. viridi* tantum comparari, neutiquam meo sensu cum *M. gentili* conjungi potest.

2 b. M. rubra (Huds. Angl. 2. p. 632.) floribus verticillatis, *verticillis globosis apicem* (non comosum) *versus confluentibus*, calycibus breve campanulatis fructiferis ventricosis, dentibus exiguis acuminatis, *foliis sessilibus* lanceolatis acutis serratis, serraturis acuminatis antrorsum versis. *Fr. Nov. p. 179.* cum syn! M. gracilis γ. *Smith.* In saepibus et cultis Scaniae, olim frequentior, nunc multis locis exstincta, ubi quondam luxuriavit. ♃. Sept. Species valde distincta, *robusta*, Patribus bene cognita; postquam Smithius cum heterogeneis formis conjunxerat paene periit et, ut videtur, plerisque locis exstirpata. Herba, folia, caules (modo purpurascentes) omnino *M. viridis* et nulli *Petiolatarum* rite affinis, quamvis flores verticillati. *M. gentilis* differt foliis (haud floriferis) distincte petiolatis latio-

ribus, caule apice comoso, calycibus tubuloso-campanulatis dentibusque longioribus porrectis et habitu *M. sativae*, Cfr. Nov. Mant. III.

5. M. NEPETOIDES. E loco et descriptione omnino M. hirsuta *Linn. Mant.* 81. M. aquatica v. subspicata *Fr. Nov.* — Alia vero sub M. Nepetoidis nomine obvia planta (Cfr. H. N. XI.) *M. silvestri* affinior est. M. acutifolia *Smith!* certe est *M. aquatica!*

6. M. SATIVA. Omnino eadem nostra Nov. Fl. Su. p. 184 Mant. III p. 87., caute separata *M. gentili grandiflora* s. Agardhiana, quam Kochius quoque pro *M. gentilis* forma agnoscit. — *M. sativa* a formis verticillatis *M. aquaticae*, ad apicem usque floriferis, differt caule apice comoso. Memorabile profecto ruricolas nostrates v. c. Smolandiae sub propriis nominibus omnes Mentharum species ab antiquissimis temporibus accuratissime distinxisse meliusque cognovisse quam plerosque Botanicos; hi enim e characteribus seducuntur, cum illi ipsas plantas cognoscunt.

X. THYMUS. Longe aliter *T. Serpyllum* in Germania (excepta forsan Silesia sec. Wimmeri accuratam expositionem), quam in Scandinavia se praebere videtur:

T. SERPYLLUM Linn! — Sv. Bot. t. 320. Fl. Dan. t. 1165 et omnium Botanicorum Scandinaviae, admodum varia est planta, nunc latifolia elatior (foliis obovatis), nunc angustifolia, nunc foliis angustissimis, quae var. verissimus *Th. angustifolius.* Per totam regionem in Lapponiam Rossicam usque et in omni solo obviam hic solus venit, a sq. constanter diversus caulibus biformibus, sterilibus elongatis procurrentibus (*unde nomen*) fructiferis condensatis seriatis abbreviatis erectis. Linnaeus sane hunc tantum, nec sequentem, vidit.

T. CHAMAEDRYS (Fr. Nov. p. 197 *Fl. Dan t. 2237.*), caule ramisque conformibus adscendentibus erectisque bifariam pilosis foliisque ovatis distinctus, qui *Th. Serpyllum* Exterorum, in Scandinavia rarissimus, Linnaeo certe numquam obvius. A priori esse distinctum facile omnes Botanici hodierni Scandinaviae consentiunt. *Galea* apud nos vulgo *integra*, variat tamen emarginata.

XX. DRACOCEPHALUM. Vere inquilinum factum:

1 b. D. THYMIFLORUM (Linn. Spec. p 831.) floribus verticillatis, bracteis oblongis integerrimis, foliis inferioribus ovatis serratis, calycis labio superiore mucronato corollam subaequante. *Gmel. Sib. t. 59 Wahl. Ups.* n. 587. In omnibus tectis turfosis Upsaliae copiose. — Plantae sibiricae omnium

facillime apud nos inquilinae evadunt, v. e. *Elsholtzia*, *Bunias orientalis*, quae ante seculum in Suecia prorsus ignota planta, nunc locis cultis incultisque vulgatissima, abundatissima, nostratibus maxime infesta, a vulgo *Ryssar* appellata.

XXII. LAMIUM. Omnia nostra Lamia, etiam L. album, variant incisa. *L. incisum* in tribus diversis speciebus quaeritur v. e. in *L. purpureo*, *L. intermedio* et *L. inciso* Nov. Fl. Sv. Quod ex his proprie sub L. inciso intellexerunt primi Auctores vix extricare licet; praesente insuper forma typica *L. incisi foliis haud incisis* necesse mihi videtur hoc definito nomine, *L. confertum*, designare; quamdiu enim *L. incisi* nomen servatur, tamdiu harum plantarum perennabit confusio.

XXIX. BALLOTA. Differentia inter valde affines B. ruderalem *Swartz* (B nigram *Linn. Suec.*) et *B. foetidam* (B. albam *L. Suec.*) posita est in calycis diversa forma, nec in dentium longitudine, quae in utraque varia est. Illius enim calyces tubulosi, dentibus (nunc latioribus et brevioribus, nunc angustioribus et longioribus) in cuspidem aequaliter attenuatis porrectis; in hac s. *B. foetida* calyces tubaeformes, dentibus rotundatis obtusissimis ("truncatis" L) fere horizontaliter patentibus et mucrone excurrente plus minus aristatis. Quod vero has stirpes prae ceteris insignes reddit, est ipsarum diversa distributio. *B. ruderalis* usque ad Sueciam mediam (Vestmanniam) etiam in plagis interioribus vere indigena planta est; *B. foetida* autem ad portus navium (usque ad Holmiam) tantum obviam venit, antiquitus quidem at ubique manifeste cum saburra navali introducta, his vero locis, mixta cum altera indigena, per plurium lustrorum seriem omnino constans permansit. Exacte contrarius, secund. Babington, harum stirpium proventus in Anglia, qui primitivam quandam differentiam indicat.

XXXVI. AJUGA. Valde singularis planta, ab A. alpina vulgo dicta s. *A. genevensi* L., valde diversa est:

1 a. A. ALPINA (L Mant. p. 50) floribus distanti-verticillatis, *caule sarmentaceo-repente* radicante stoloniferoque, foliis laevibus glabris, caulinis mediis et stolonum terminalibus rosulatis maximis. *Fr. Mant* III. p. 54. c. syn. et descr. In regionibus graniticis montanis; in par. Styrsö Bahusiae legit d. *M. v. Düben* et *A. reptans* Norvegica etiam h. l. videtur. ♃. Jun. Jul. A. reptanti proxima quidem, at longe insignior. Caules floriferi distantes, sed sarmentis longis persistentibus cohaerentes, stolones apice rosula maxima radicante terminati. Flores pallidi ut in *A. pyramidali*, at tubo elongato conspicuo

graciliores. De synonymo Linnaeano, ad singulam affinium translato, equidem haud dubito, sed plerisque forsan placeret novum *A. sarmentosae* nomen.

PRIMULACEAE. Koch. syn. p. 666. Supr. p. 20.

VII. PRIMULA. Alpes nostrae Primularum inopes:

1 b. P. SCOTICA (Hook. Fl. Lond. t. 133.) foliis obovato-oblongis denticulatis glabris subtus farinosis, umbella subcapitata, *calyce ventricoso* abbreviato, *corollae lobis dilatatis contiguis* tubum dimidium aequantibus. *Fr. Mant. III. p. 18.* In alpibus Norvegiae frequens in Lapponiam usque, etiam in Suecia boreali. ♃. Jun. Jul. Valde affinis *P. farinosae*, sed ex obs. accurratissimi Blyttii genuina species *corolla majori purpureo-coerulea* (in *P. farinosa* lilacino-carnea) eminus distincta.

1 c. P. STRICTA (Horn. Fl. Dan. t. 1385) foliis obovato-oblongis denticulatis glabris subtus nudiusculis, umbella pauciflora stricta, *calyce ventricoso-campanulato*, *corollae lobis linearibus distantibus* tubo triplo fere brevioribus. P. farinosa. *β. Whlnb. Lapp.* n. 107. In alpibus Scandinaviae fere totius ♃. Jun. Jul. Haec et prior quoad folia subsessilia, minus farinosa calycemque ventricosum inter se quidem analoga sunt, verum in oppositum latus a nobis campestri *P. farinosa* distant; *P. stricta* elatior, gracilior, floribus minoribus pallidioribus; *P. scotica* pumila, firmula floribus magis speciosis saturatioribus.

16 b. P. FINMARKICA (Jacq. Willd. Spec. I. p. 806) foliis petiolatis ovatis integerrimis utrinque nudis glaberrimis, umbella subtriflora stricta, calyce glabro corollae tubum aequante, limbo plano laciniis tubo longioribus. *Sv. Bot. t. 530. Wahl. Suec. n. 231.* P. integrifolia. *Gunn.* — *Fl. Dan. t. 188, 1809.* non L. P. norvegica. *Retz.* sed in Norvegia stricte haud obvia. Locis uliginosis in Finlandia boreali, v. c. circa Uleåborg copiose, et in maritimis Finmarkiae sparsim ♃. Jun. Jul. Planta arctica, nec alpina, a Linnaeo *P. sibiricae* subsumta Flores speciosi lilacini. — P. egalicensis *Fl. Dan. t.* 1511. a priori differt ut P. stricta a P. farinosa.

PLUMBAGINEAE. Koch. p. 682. Supr. p. 21.

1. STATICE. Sectiones ita acute limitatae et distantes ac *Armeria* et *Statice*, absque ullis formis intermediis, meo sensu non possunt non genere distingui eorumque characteres, v. c. inter Rubiaceas, alibi subordines distinguunt. Equidem enim nec genera nec species *a priori* (i. e. sec. characteres) dijudico, tantum ex continua observatione, utrum in natura acute limitata sint an formarum seriem contiguam sistant.

7 S. LIMONIUM. L. Plures diversas complectitur species, dici nequit quaenam Linnaeo sit primaria. Etiam in *Linn. Fl. Suec.*, ut e locis indicatis patet, duas colligit, quas in Nov. Mant. I. p. 12 primus distinxi, d. *Dreyer* addidit tertiam s. *S. rarifloram*, quae tamen modo varietas, licet valde insignis, *St. Bahusiensis* nostrae. Haec est, quam omnes Sueciae Botanici pro genuino *St. Limonio* sumunt, plurimi vero exteri alteram. Tertiam vero habet Ill. *Reichenbach* ab utraque nostrarum diversa. Summo jure igitur nomen Linnaeanum ut *omnium collectivum* servatur, recentiusque distinctae species sub novis nominibus proponuntur:

S. BEHEN (Drey. Saell. p. 122) foliis oblongis subellipticis mucronatis uninervibus venosis distincte petiolatis, *scapo tereti apice ramoso-corymboso*, *spicis* secundis patentibus *demumque recurvis*, floribus imbricatis, bractea interiori margine lato scarioso cincta, dentibus calycis ovatis acutis. S. Limonium. *Koch. Syn. p. 684.* St. L. Scanica. *Fr. l. c.* Locis salsis uliginosis ad littora Daniae australis et Scaniae occidentalis. ♃. Jul. Aug. Statura admodum variat. Folia carnosula, laevia, ex apice mucronata, subtus dense nigro-punctata.

S. BAHUSIENSIS (Fr. l. c. Bot. Not. 1844. p. 15) foliis obovato-oblongis mucronatis uninervibus aveniis in petiolum decurrentibus, *scapo angulato ramoso-paniculato*, *spicis secundis erectis* demum subincurvis, floribus subdistinctis, bractea interiori margine lato scarioso cincta, dentibus calycinis acutis denticulatis. St. Bahusiensis *Fr. l. c.* Ad littora maris glareosa et rupestria praecedente longius versus septentrionem progrediens ♃. Jul. Aug. Primo obtutu inflorescentia a praecedente dignoscitur. Folia coriacea, subtus vix punctata. Duas habet varietates insignes:

— *borealis*, 1-2-pedalis, ramosissima, foliis latis undulatis *sub apice mucronatis*, spicis apice demum incurvis. St. Bahusiensis. *Fr. Nov. Mant. 1832. p. 12. II. p. 17.* In Bahusia, in qua, centro speciei, optime evoluta, et Norvegia australi.

— *Danica*, digitalis, vix spithamaea, parum ramosa, foliis angustis laevibus *ex apice mucronatis*, spicis erectis. S. rariflora. *Drey. l. c.* 1838. In Dania boreali et ad Torekow Scaniae.

E prioritatis lege haec species *S. Bahusiensis*, sub quo nomine sex annos ante Dreyerum descripsi et in H. N. distribui, dicenda est. At cum *S. rariflora* Dr. specie non differat, hoc nomen ab aliis receptum ad *speciem nostram*, hac ratione dilatatam, transferrem, nisi Bahusiensis nomen utpote speciei stationem centralem indicans revera aptius esset; *St. rariflora* autem cum *plurimis* speciebus sui generis, floribus a

se invicem vere remotis, camparata potius densiflora, quam rariflora dicenda.

PLANTAGINEAE. Koch. syn. p. 685. Supr. p. 21.

II. PLANTAGO. Accedit valde singularis species:

2. b. P. MINOR (Fr. Mant. II. p. 12) foliis linearibus enervibus planis canaliculatis integerrimis, scapis teretibus laevibus, bracteis ovatis obtusis, capsula conica acuta, seminibus 8 fusiformibus. In campo sterilissimo calcareo, Alvaren dicto, Ölandiae, locis hieme inundatis copiosissime. ⊙. Jun. Jul. Habitu ad *P. tenuifloram* Kit. etc. accedit; verum diversissima est capsulae fabrica omnino ut in stirpe *P. majoris*. Spica contigua floribus dense imbricatis.

CHENOPODIEAE. Koch. syn. p. 672. Supr. p. 53.

III. SALICORNIA. Antiquitus duae apud nos distinctae species, *S. herbacea* et *S. fruticosa* Retz. Prodr. non Linn. s. *S. annua* et *biennis* A. Afz. Utraque variat erecta et prostrata l. saltim basi decumbens. *S. herbaceam* vero et *biennem*, uno eodemque loco nascentes, v. c. in Getterön extra Varberg, confluere non vidi, sed ipsas plantas et florentes et fructiferas ita accurate comparare nondum licuit, ut utrum species an varietates sint dijudicem.

XIV. ATRIPLEX. Ad maris littora luxurians genus:

5. A. LATIFOLIA. Hanc clare et pure esse *A. hastatam* L. ita definite probasse mihi videor (Nov. Mant. III. p. 162), ut dubia contraria nullo jure moveri possint.
Ab hac facile distinguitur *A. deltoidea* Bab., quae comparatis utriusque speciminibus autographis eadem ac A. longipes *Drey.!* seminibus laevibus nitidis. Hac nota convenit *A. prostrata*, sed in hac dens foliorum posticus rectangulo-patens, qui in A. deltoidea reversus — et folia *A. hastatae* conspicue angustiora, ut habitus inter *A. patulam* et *hastatam* medius. Cel. Koch has omnes sub A. hastata (A. latifolia) complectitur.

5. b. A. CRASSIFOLIA (Mey. in Ledeb. Fl. Alt. IV. p. 309) caule herbaceo subprostrato divaricato, foliis ovato-triangulis carnosis sinuato-dentatis trilobis, lobis lateralibus subbifidis divaricatisque, summis bracteisque hastatis. calycibus femineis rhombeis tripartito-hastatis denticulatis, dorso subtuberculosis. *Fr. Mant. III. p. 163.* A. laciniata. *Suec vulgo. Fl. Dan. t. 1284* et verosim *Schkuhr.* A. rosea. *Babingt! Man. Brit. p. 253.* ex quo A. patula γ. *Smith.* Ad littora maris occid. Daniae, Hallandiae, Bahusiae et Norvegiae adjacentis. ⊙. Aug. Sept. Similis *A. roseae*, sed *A. hastatae v. salinae* proxima, e lon-

ginquo vero distincta, non modo lepidota, sed simul intense glauca, foliis fere Hederae quinquelobis.

6 A HASTATA. Excludendum synonymon Linnaeanum ad praecedentem certe spectans, addendumque A. laciniata *Linn. Suec. n. 920.* A. calotheca *Rafn. et Fries Nov. Mant. III. p. 164.*

POLYGONEAE. Koch. syn. p. 704. Supra p. 31.

1 RUMEX. Vasta Lapathorum grex in duas abit stirpes naturalissimas, Nemolapathorum et Hydrolapathorum, quarum distinctione specierum cognitio, me judice, admodum sublevatur. In *Nemolapathis* Fr. Nov. p. 95 verticilli, saltim inferiores remoti, foliati, *valvulae elongatae et in apiculum productae* (plerisque quoque conspicue dentatae), in Hydrolapathis verticilli omnes conferti, ampliores, aphylli; *valvulae dilatatae* integerrimae obsoleteve modo denticulatae, *aequales* nec apiculatae. Praecipue vero memorabiles videntur hae stirpes apud nos diversa geographica distributione; Nemolapatha pertinent ad provincias australes littorales, septentrionem versus subito decrescunt; in continentalibus vero et montanis luxuriant Hydrolapatha, versus septemtrionem accrescentes. Spec. 1-8 Koch. sunt Nemolapatha; 9-15 Hydrolapatha. In prima Linn. Fl. Suec. editione omnia Nemolapatha sub R. acuto, omnia Hydrolapatha sub *R. aquatico* complectuntur. A priori successive plures distinxit, sed a R. aquatico modo R. crispum, quare de hac maxime collectiva specie perennes restabunt controversiae si nomen transferre velimus ad definitam speciem e recentius propositis (omnes s. quinque species in Fl. Upsaliensi, Holmiensi etc. luxuriant, ut Linnaeo neutiquam ignotae fuerint, licet haud distinxerit). In Scandinavia praepollent Hydrolapatha, in Germania Nemolapatha.

7. b. R. DIVARICATUS (Linn. Spec. 2. p. 478 excl. syn ex ipso in Mant. 2 p. 478) laciniis perigonii fructiferi interioribus ovato-triangularibus scruposo-reticulatis in apicem integerrimum aequaliter productis, racemis aphyllis patentibus, foliis imis cordato-ovatis obtusis, petiolis supra planis marginatis. *Fr. Mant. III. p. 25.* R. obtusifol. *β. Fr. Nov. Koch.* In Dania, Scania etc. rarior. Pluries hunc et *R. obtusifolium* solo inverso educavi et maxime constantes reperi.

8. R. PRATENSIS. R. acutus L., in Horto Upsaliensi cultus! ad hanc speciem nec ullam aliam pertinet. Hybrida planta non est, in provinciis nostris occidentalibus, v. c. ad Varberg, proximis longe magis luxuriat et in Norvegia occidentali, te-

ste Myrin, copiosissimus, R. obtusifolium divaricatumve omnino excludit. Est vero planta occidentali-littoralis.

10 b. R. CONSPERSUS (Hartm. Sc. 5. p. 85) laciniis perigonii fructiferi interioribus late cordatis subdenticulatis, una granifera, ramis paniculatis aphyllis, foliis radicalibus oblongis obtusis, basi cordatis obliqueve ovatis, *petiolis supra planis superne a latere compressis. Nov. Mant. III. p. 26* (R. confertus. *Willd.* en. II. Ber. p. 397 plene convenit). Ad lacus majores Sueciae mediae ut Mälaren, Vänern etc. ♃. Jul. Aug. Species bene distincta. *R. crispo* et *Hippolapatho* quasi intermedia.

14 R. HIPPOLAPATHUM (Fr. Mant. III. p. 107) laciniis perigonii fructiferi interioribus *ovatis* membranaceis integerrimis subnudis, racemis paniculatis aphyllis, foliis radicalibus obtusis basi cordatis, *petiolis teretibus apice modo contracto-canaliculatis.* R. aquaticus *Koch.* Per medias et boreales Sueciae plagas, R. domestico longe rarior; in Dania et Succia australi deest.

Nulla adest ratio cur hunc in specie R. aquaticum salutemus. Definitio Linnaeana sumta est a *R. domestico*, a Nordkap ad Eidoram omnium vulgatissimo, locis aquosis optime vigente; idem est *R. aquaticus* non modo pl. Bot. Scand., sed omnis Britannorum! Sed in synonymis et sub itineribus suis R. Hydrolapathum eo nomine vulgo designavit — et verissima ratio est Linnaeum *R. domesticum, conspersum, Hippolapathum, maximum* et *Hydrolapathum* ne quidem ut varietates distinxisse. Solo vero petiolo foliorum radicalium omnes facillime distinguuntur; *R. conspersi* et *R. Hippolapathi* supra indicavimus; in *R. domestico* petioli semicylindrici, supra plani linea tenui acute marginati; in *R. maximo*, supra plani, costa valida elevata obtuse marginati; in *R. Hydrolapatho* superne plani immarginati folio utrinque aequaliter decurrente; in *R. crispo* itidem plani immarginati, apice vero a folio sinuato-decurrente canaliculato-alati (In *R. cordifolio*, *R. domestico* et *Hippolapatho* intermedio, supra plani, a dorso compressi, apice canaliculato-contracti).

14 b. R. HELEOLAPATHUM (Fl. Dan. t. 2288) laciniis perigonii fructiferis interioribus ovatis integerrimis nudis, basi truncatis apice rotundato-obtusissimis, pedicellis aequalibus, foliis radicalibus planis triangulo-oblongis obtusis basi cordatis, lobis obtusissimis divaricatis, petiolis basi planis versus costas elevatas immarginatis. In paludosis Jutlandiae *Dreyer*, (Vildemosen i Vensyssel) ♃. Jul. Aug. Species mihi haud obvia, *R. aquatico* sine dubio subsumta, at habitus et perigonium fructiferum

potius R. domestici; a *R. Hippolapatho* dignoscitur valvularum forma, pedicellis haud geniculatis, panicula densiori lobata, pedicellis haud geniculatis; foliis minoribus.

In Suecia occidentali legi similem formam, characteribus vero *R. conspersi*, at statura orgyali foliorumque eximie laevigatorum forma R. maximo proximam. Hic videtur R. conspersus *Aresch.* (et Hartm.?) verum ab illo H. N., ab Hartmanno ipso agnito, certe diversus. Hic *R. laevigatus* dictus est et quando planta nunc culta floruit plenius describendus.

ULMACEAE. Koch. p. 734. Supra p. 55.

1 ULMUS. Praeter U. effusam, *U. campestris* duplicem habemus varietatum seriem, quarum utramque tanquam speciem ob distributionem oppositam consideramus.

U. campestris (Sm. Engl. Fl. II. p. 20) foliis rhombeo-ovatis duplicato-serratis basi inaequalibus, floribus sessilibus subtetrandris, fructibus glabris apice profunde incisis (sinu interiori subcordato) *Engl. Bot. t. 1826. Fr Mant. III. p. 18.* U. tetrandra. *Schkuhr.* In Ölandiae, Gottlandiae et, ex Schumacher, Saellandiae nemoribus, cum varr. *suberosa* (Ulm suberosa *Ehrh. Engl. Bot. t. 2161.*) et *glabra* (U. glabra *Mill.* Engl. Bot. t. 2248). ♄ Apr. Majo. In Scandin. continentali non spontanea, at plantata v. c. Holmiae a sq. constanter diversa persistit.

U. montana (Smith. Engl. Fl. II. p. 22) foliis oblongatis cuspidatis duplicato-serratis basi inaequalibus, floribus subsessilibus 5-6-andris, fructibus glabris (*maturis*) apice leviter emarginatis. *Engl. Bot. t. 1887. Fr. l. c.* p. **19**. U. campestris. *Sv. Bot. t. 13.* Locis silvaticis montosis Scandinaviae totius excepta Lapponia, cum varr. *suberosa* (U. major *Engl. Bot.* t. *2342*) et glabra, quae cum analogis praecedentis haud confundendae. ♄. April., Majo, sed in Ölandia inque prioris consortio **14** dies prius floret.

SALICINEAE Koch. p. 739. Supra p. 55.

1 SALIX. Cfr. Nov. Mant. I. p. 21—80 cum Mantiss. II., III. Bot. Not. 1840, n. 9, 11, 12. Anderson Sal. Lapp. Ups. 1845.

4 b. S. viridis (Fr. Nov. p. 283) diandra, amentis pedunculatis *arrectis*, pedunculo foliato, squamis concoloribus subdeciduis, capsulis ovato-acutatis glabris pedicellatis, pedicello nectarium bis superante, stigmatibus emarginatis, foliis lanceolatis acuminatis serrulatis *utrinque glaberrimis*, stipulis nullis ovatisve. *Mant. I. p. 43.* Tam ad ripas spontanea, quam ad

vias culta in Gothia praecipue, sed in Dania, Norvegia australi passim quoque, in Suecia media vix nisi culta. ♄. Apr. Majo, 14 dies ante S. albam. Quamquam glaberrima (ne juniora folia quidem, ut in S. fragili, pubescunt) *S. albae* proxima, ejusque ramis magis tenacibus erectisque gaudet, sed ad Amygdalinas angustifolias etiam vergit amentis et floriferis et fructiferis arrectis, quibus ab omnibus S. fragilibus distat.

5 S. AMYGDALINA — *angustata*, foliis e basi ovata attenuatis lanceolato-linearibus planis. *Fr. ll. cc.* Ad ripas in Stördalen Norvegiae. *Sommerfelt.* Foliis ad S. hippophaefoliam accedit et a *S. amygdalina* aequo jure distingueretur ac S. hippophaefolia a S. undulata. Facile hybridam crederes, sed ab optima hujus patria omnis S. hippophaefolia certissime ultra centum milliaria distat. — Amicus aestum. Wimmer S. undulatam pro hybrida a S. hippophaefolia et S. amygdalina habet; nobis S. undulata satis copiosa obviam venit, nullibi vero S. hippophaefolia, nisi paucissimis locis, quibus ultimis annis plantata.

9 b. S. LANATA (Linn. Spec. p. 1446) amentis sessilibus hirsutissimis, capsulis conico-subulatis subsessilibus, pedicello nectario breviori, stylo elongato, stigmatibus emarginatis linearibus, foliis subovalibus lanatis glabratisve, stipulis oblique ovatis, *ramis torulosis epruinosis*, ramulis villosis. *Wahlnb. Lapp. n. 471. t. 16 f. 1. Fr. Mant. 1. p. 47. Anders. Sal. p. 19. f. 3.* Ad latera alpium Norvegiae centralis Sueciae borealis et Lapponiae praecipue usque ad Nordkap copiosa; etiam in regione subsilvatica ad lacus majores. ♄. Jun. Frutex biorgyalis, elegantissimus: gemmis maximis, amentis densissime lanatis omnibusque fructificationis partibus S. pruinosae et Chrysanthae *Koch. Comm. Sal. p. 53.* adeo congruunt, ut non possim non conjungere, praecipue cum character ex Chrysantharum amentis terminalibus et sessilibus fallax sit; in regione silvatica occurrit quoque foliis terminalibus, amentis lateralibus pedunculatis, foliis parvis fulcratis. Ceterum foliorum forma, margine et indumento, ut omnes species arcticae, supra omnem modum variat, ut exsteut tandem formae aegre a S. hastata discernendae.

12 S RUBRA. In Dania quidem indicatur, sed in Suecia nonnisi culta occurrit et clima aegre fert, ramuli enim quotannis frigore necantur, quod in S rubra et viminali numquam observatur. Pertinet enim ad regiones occidentali maritimas, hieme miti gaudentes, et australes, ut in Wahlnb. Fl. Carp. omnium Salicum frequentissima dicatur, et S. rubram et S. viminalem excludens. His rationibus ductus *S. rubram* pro

genuina, nec hybrida specie habeo. Eadem ratio S. mollissimae.

21 a. S. CANESCENS (Fr. Mant. 1. p. 58) amentis sessilibus subarcuatis basi bracteatis, capsulis ex ovata basi conico-attenuatis albotomentosis pedicellatis, pedicello nectarium bis superante, stylo elongato, stigmatibus linearibus bifidis, foliis oblongis ovatove-lanceolatis crenulatis subtus tomentosis. *Bot. Not.* 1840. *p.* 143. *Anders. Sal. Lapp. p.* 27. *f.* 5. Sal. Oleae sylvestris folio. *Rudb. t.* 38. *Linn. Lapp. n.* 367. S. Capraea *β. Linn. Spec. p.* 1448. S. Laestadiana. *Hartm.* Locis paludosis Lapponiae silvaticae et subsilvaticae, supra limites boreales *S. cinereae*, fere totius; etiam Fenniae et Sueciae borealis usque ad Hernösand descendens. ♄. Jun. E methodo Kochiana h. l. inserenda, licet *S. limosae* propior et S. Seringeana analoga; mixtam *S. canescentem* Willd. hac definita figere volui. Folia vero ut in omnibus Salicibus Lapponiae maxime variant, nunc S. Capream, nunc S. cineream, nunc S. limosam aliasque referunt, ut multiplicis hybriditatis pericula offerat.

23 S. NIGRICANS. Ut S. grandifolia ad S. Capraeam, ita exacte ad S. nigricantem accedit sequens, quare utramque, licet constantem, tamquam subspeciem modo proposui:

*S. N. BOREALIS (Fr. Bot. Not. 1840. p. 193) amentis coaetaneis pedunculatis, pedunculo foliato, capsulis (duplo majoribus) pedicello nectarium quater et ultra superante, foliis utrinque subconcoloribus, costa media albo-tomentosa. *Anders. Sal. Lapp. p.* 57. *Wahlnb. Lapp. n.* 485 "omnium maxime macrocarpa". Haec in Lapponia vulgatissima, foliis passim S. cinereae instar tomentosis, a vulgari, semper fruticosa et in planitiebus Sueciae totius obvia *S. nigricante* conspicue et constanter differt, saepeque in arborem proceram S. Capraeam superantem excrescit. Ab antiquo in Horto Upsaliensi culta fuit ibidemque a S. nigricante faciem adeo diversam servavit, ut qui speciem censeat genuinam vix erraret.

23. b. S. PUNCTATA (Wahlnb. Lapp. n. 481 t. 17.) amentis ramulo persistente gemmifero foliis 3-5 perfectis instructo pedunculatis, capsulis ex ovata basi subulatis subpedicellatis, pedicello demum elongato nectarium bis superante, stylo elongato, stigmatibus ovatis bifidis, foliis elliptico-lanceolatis undulato-serratis, *venis supra elevatis*, subtus albo-punctatis. *Mant. I. p.* 51. *Anders. Sal. Lapp. p.* 60. Tantum in Lapponia maxime boreali et orientali, ut ad Tana, Kistrand etc. Finmarkiae copiose, ut centrum in Sibiria habere videatur ♄ Jun. Florens foliis *S. nigricanti* simillima (amenta vero potius S. glaucae); fructifera *S. Myrsiniti*, foliis rigidis, nitidis, supra elevato-venoso-reticu-

latis, ut huic (etiam pedunculis gemmiferis et capsulis) propior videatur. Cum S. nigricante concolori non confundenda.

29 b. S. LAURINA (Smith. Linn. Soc. VI p. 122) amentis subsessilibus basi bracteatis, capsulis ex ovata basi elongato-lanceolatis albosericeis, pedicello nectarium bis terve superante, stylo brevi, stigmatibus bifidis, foliis ovali-oblongis remote denticulatis *novellis ferrugineo-maculatis ramulisque albovillosis* adultis glabris, subtus glaucis. *Fr. Mscr. Anders. Sal. Lapp.* Locis silvaticis Gothiae occidentalis et Lapponiae rarissime, Norvegiae frequentius ♄. Majo. Maxime affinis *S. phylicaefoliae*, sed in hac folia novella semper glaberrima et numquam ferrugineo-maculata, quibus S. laurina cum Capraea, cinerea etc. convenit. Ad Femsjö adsunt frutices nonnulli foliis aeque cinereo-villosis ac *S. cinereae*, ramulis adultioribus sanguineis tamen diversi. In hortis culta arborescit, cum S. phylicaefolia fruticosa persistit.

"S. silesiaca" apud nos silvestris, in eisdem regionibus ac prior sporadice modo obvia, prioris mihi videtur forma nemoralis foliis tenuioribus, capsulis longius pedicellatis; cetera, etiam macula foliorum ferruginea, cum *S. laurina* congruunt. Plurima, quae a Cel. Wimmero habeo S. silesiacae specimina, vix discernere valeo, verum Kochiana (culta, ut etiam apud nos) foliis glaberrimis, capsulis longe pedicellatis gracilibus (fere S. lividae) glaberrimis conspicue differunt.

31. S. HASTATA. Ne pro hybrida inter hanc et S. amygdalinam, cui simillima, sumatur, huic subjungimus:

*S. HYPERBOREA (Fr. Bot. Not. 1840. p. 107) amentis pedunculatis gracilibus, pedunculo microphyllo glabro, capsulis subconicis subpedicellatis, pedicello nectarium vix superante, stylo brevissimo, stigmatibus integris divaricatis, squamis nudis foliis ovato-lanceolatis glabris. *Anders. Sal. p. 31. f. 12.* In Finmarkia occidentali ad Lyngen etc. copiose. *Laestadius.* Similis S. amygdalinae, sed haec ab hujus patria longe abest.

33. b. S. FINMARKICA (Willd. ex Vahl, non Hort. Ber.) amentis pedunculatis, *pedunculo demum elongato foliato*, capsulis ex ovata basi lanceolatis glabris pedicellatis, pedicello nectarium ter quater superante, *stylo brevissimo*, stigmatibus ovatis emarginatis, *foliis* ellipticis obovatisque sparse pilosis, *subtus reticulato-venosis. Fr. Mant. I. p.* 68. S. aurita β. paludosa. *Laestad.* S. paludosa *Hartm.* In subalpinis Finmarkiae (*Vahl!*) Nordlandiae (*Sommerfelt!*) Lapponiae borealis v. c. ad Arjeplong (*Laestadius!*), semper supra limites boreales S. auritae ♄. Omnes partes fructificationis ut in S. Myrtilloide, in

cujus societate nascitur, ut hujus videatur filia, at folia praecipue surculorum vegetorum fere *S. auritae* tantum recedunt ut seorsim proponere cogamur. Cel. Laestadius *S. Finmarkicam* esse S. *auritam* e frigore personatam statuit, hydriditatem vero prorsus denegans. — In Salicibus borealibus limitandis ad fructificationem tantum attendendum censeo, nam singulae speciei folia reliquarum omnium accidentalibus lusibus aemulantur, ut, qui lubeat, centuriam in Lapponia s. d. specierum hybridarum facile proponat. — *S. Finmarkica* Anders. Sal. Lapp. f. 20 a nostra recedit stylo elongato.

33 c. S. versifolia (Wahl. Lapp. p 271. t. 18. f. 2) amentis pedunculatis, pedunculo foliato, capsulis ex ovata basi conico-subulatis subpedicellatis, *pedicello nectarium demum bis superante*, *stylo longissimo*, stigmatibus ovatis emarginatis, foliis ovatis lanceolatisve subintegerrimis, *subtus punctatis sericeisve* demum glabratis. *Linn. Lapp. n.* 364. *t.* 8. *f. r.* (fons et genuina *S. fusca* L., *Frut. Suec.* "Lapponica", sed hoc nomen varia interpretatione nimis anceps factum.) *Sv. Bot. t.* 511. *Nov. Mant. I. p.* 39. *Anders. Sal. Lapp. p.* 62. f. 17. Supra limites boreales *S. repentis* in Suecia boreali (Dalekarlia; Jemtlandia) et per Lapponiam sylvat. frequenter, variis locis v. c. ad Karesuando affinium copiosissima in dumetis paludosis ♄. Jun. Jul. Suspicio, illa mere hypothetica hybridam esse a S. myrtilloide et S. Lapponum, jam pridem explosa, et multis notis v. c. foliis subtus punctatis, stylo longissimo rostrato c. s. p. ab utraque recedens, immo ad aliam meo sensu stirpem, nempe S. nigricantis, pertinens. Folia admodum varia variarum specierum aemulantur, etiam illarum, quae in hujus regione numquam obviam veniunt, v. c. *S. repentis*; juniora eximie, adulta parum nigricantia. Inter hujus largam messem e Karesuando a Cel. *Laestadio* accepi nonnulla specimina tam recedentia ut seorsim proponenda:

*S. v. myrtoides (Fr. Mant. I. p. 70), foliis lanceolatis subintegerrimis utrinque glaberrimis laevigatis siccitate nigricantibus, apice recto, subtus punctatis glaucescentibusve, capsulis subulatis glaberrimis. *And. Sal. Lapp. p* 96. *f.* 17 *c.* (excl. a, b ad S. lividam pertinent.) Est inter *S. versifoliam* et *punctatam* intermedia, ad *S. versifoliam* tamen manifeste proxime accedens, ad quam exacte se habet ut *S. myrtilloides* ad S. Finmarkicam. Hinc potissimum *S. myrtilloides* suae speciei *forma typica glabrata*, *S. finmarkica* ejusdem lusus accidentalis pilosus; *S. versifolia* vero suae speciei *forma typica villosa*, *myrtoides* ejus lusus glabratus, in qua nihil omnino *S. Lapponum* in mentem revocat. Hac naturae magis congrua ratione

fingo me plurimas s. d. hybridas species, quae suis locis et extra parentum s. d. societate copiose occurrunt, pro lusibus accidentalibus declarare, quam mere hypothetica et prorsus arbitraria hybriditatis opinione. Hybridas existere non nego, sed has ut *individuales* et accidentales e systemate prorsus exclusas vellem. Qua ratione enim species primitus ortae earumque genealogiam in aeternum frustra inquiramus; argumentum novi nullum petionem principii magis flagrantem involvens, quam illud: tot numeramus species, quot in principio creatae formae. At quis has, si amplius purae existerent, discernet?

36 S. ANGUSTIFOLIA. Est quidem S. incubacea Linn. Spec. et Frutet. Suec. in Amoen. Acad., at non Fl. Suec., quae e descriptione et loco clare *S. ambigua* Koch., sub quo nomine saepe commutantur formae microphyllae *S. auritae* — et meum specimen Ehrhartianum ad has omnino referendum! (Genuinae characterem essentialem praebent *folia plicata*, *juniora subtus sericea*. In Smolandia occid., Hallandia vulgaris et copiosa est; latum campum obtectum vidi varietate capsulis glaberrimis.) — *S. angustifoliam* esse hybridam prorsus denego; paucis quidem locis apud nos occurrit, sed his, v. c. ad ostium fluvii Köpingensis, copiosissima, ad aborigines telluris Suecanae sine dubio pertinens, cum *S. viminalis* priori seculo in Suecia primum introducta et l. c. nuperrime plantata. At si S. repentis *varietatem* dicere malles, haud multum obstabo.

41 S. GLAUCA. Haec in alpibus nostris vulgatissima species fructificationis partibus optime distinguitur, sed folia adeo variant, ut aliarum specierum potius crederes, v. c. S. fragilis! Duplex series praecipue insignis, altera ad *S. nigricantem*, altera ad *S. phylicaefoliam* abiens; utraque vero cum specie primaria seriem contiguam efficit, ut, nisi individua s. solitarios fructices respexeris, limites frustra quaeres. Harum extrema seorsim notanda:

— *pullata* (Fr. Bot. Not. 1840. p. 204) foliis oblongis lanceolatisve serrulatis acutis pilosis, siccitate nigricantibus, subtus glaucis. Cum vulgari sat frequens, in S. nigricantem gradibus vix sensibilibus abiens. Capsulae etiam variant glabrae, saepe distinctius pedicellatae. S. nigricanti-glauca. *Laestad.*

— *pallida* (Fr. Bot. Not. 1840. p. 204) foliis lanceolatis integerrimis acutis, siccitate laete viridibus, cum ramulis glaberrimis, antheris stigmatibusque vulgo luteis. Hanc l. c. S. phylicaefolio-glaucam simul diximus. — Has duas enim hybriditate infectas facile *fingam*, at si species hybridas proponamus, etiam innumera membra intermedia, hybriditates ad quintum et sextum usque gradum, distinguere necesse est.

Cl. Anderson insuper detexit aliquot frutices inter *S. glaucam* et *S. myrsinitem* intermedios, qui supra S. Myrsinitiglauca dicti sunt. In ipsius vero dissert. de Sal. Lapp., *post impressam jam Summam nostram edita*, S. glauco-myrsinitis appellata eandemque cum *S. myrsiniti*, detectis formis mediis, confluere haud dubitamus.

43. S. MYRSINITES. Huic subjungenda:

*S. M. PROCUMBENS (Forbes ex Hook. Brit. I. p. 473), amentis pedunculatis, pedunculo foliato amentisque abbreviatis, *squamis atris* albo-pilosis, *capsulis* subsessilibus ex ovata basi *conico-subulatis sericeis, stylo brevi*, stigmatibus brevibus obtusis, *foliis tenuibus* ovalibus acute serratis planis laevibus, junioribus longe pilosis, adultis *ramulisque* glabris. *Fr. Bot. Not. l. c. Anders. Sal. Lapp. p.* 78. S. laevis *Hook. l. c.* In alpibus Norvegiae et Lapponiae Tornensis. Vulgari longe minor, ut cum *S. herbacea*, cum qua etiam foliis tenuibus convenit, primo obtutu facile comparetur. Cel. *Blytt* hanc ante oculos habuisse videtur cum de forma intermedia inter *S. myrsinitem* et *pyrenaicam* loquitur; ab hac vero squamis, capsulis, stylo, foliis acutissime serratis etc. facillime dignoscitur.

43. b. S. PYRENAICA *norvegica* (Fr. Mant. I. p. 74) amentis ramulo foliato persistente pedunculatis, *squamis fulvis*, *capsulis* subsessilibus ex ovata basi *conicis* villosis, stylo elongato stigmatibusque bipartitis, foliis ovato-ellipticis acutiusculis subintegerrimis pellucide venoso-reticulatis, primo villosis, dein glabratis nitidis. S. ovata. *Anders. Sal. p.* 81. f. 24. In alpibus editioribus Norvegiae borealis, a Dovre, per Throndheimensem provinciam copiose, ad Finmarkiam; etiam in Suecia boreali (Herjeådalia, Jemtlandia) et Lapponia Pithensi, Lulensi lecta. ♄. Iul. Species a nostratibus bene diversa, vegetatione *S. myrsiniti*, fructificatione S. glaucae proxima. At a *S. pyrenaica* Gouan, cujus multa specimina authentica variarumque formarum contuli, nulla fida nota distingui potest; etsi nostra vulgo sit tenuior, specimina utriusque prorsus fere similia seligere licet. S. ovata *Seringe* etiam sec. spec. a me visum cum forma elatiori convenit; verum haec ab aliis quaeritur in varietate *S. arbusculae* ceterumque id nomen longe antiquiori *S. pyrenaicae* sine dubio cedere debet.

45. b. S. RETUSAE proxime affinis est:

*S. SARMENTACEA (Fr. Mant. I. p. 84) *subtriandra*, amentis ramulo foliato persistente gemmifero pedunculatis, *squamis luteo-viridibus*, capsulis ovato-conicis obtusis glabris pilosisve,

pedicello nectarium bis superante, stylo elongato, stigmatibus bifidis linearibus, foliis ovato-oblongis crebre serratis parallelo-venosis reticulatisque, demum glabris. *Anders. Sal. Lapp. p.* 84. *f.* 26. In alpibus Norvegiae australi-occidentalis, v. c. in Ousedalen inter Aaserald et Fjotland copiose, ab *Ahnfelt* et *Lindblom* detecta. ♄. Jul. Elegans, *S. retusae γ.* proxima, sed pro peculiari specie potius proponerem nisi scirem Botanicos in nullo genere tam difficiles esse ad novas species agnoscendas, nisi ut varietates proponantur. Tota humifusa, sarmenta gracilia elongata sistens, ramulis et lateralibus et terminalibus floriferis. Folia minora obovata, iis S. *retusae γ.* similia, primo longe pilosa, dein glabrata, subtus opaca. Squamae unicolores l. apice modo purpurascentes! Capsulae glabrae l. pilis longis raris adspersae.

46 b. S. POLARIS (Wahlnb. Lapp. p. 465. t. 13. f. 1.) amentis terminalibus pedunculatis, pedunculo bifolio gemmifero, *capsulis* ovato conicis *tomentosis* subsessilibus, *nectario pedicellum aequante, stylo elongato*, stigmatibus bifidis, foliis ovatis obovatisque obtusis subintegerrimis convergente-nervosis utrinque viridibus. *Sv. Bot. t.* 493. *Anders. Sal. Lapp. p.* 86. *f.* 28. In alpibus altioribus et borealibus Scandinaviae sat copiose. *S. herbaceae* (capsulis pilosis in Dovre variae) valde affinis.

Nulla genera in Scandinavia tantum specierum numero excellunt, quantum Salices et Carices. Inter opposita studia, species multiplicandi et reducendi, sine partium studio, passivus mediam tenere volui viam. Quas ut subspecies proposui, facile distinguas. Formas deformes et forsan hybridas, ut accidentales et meras curiositates, de industria omisi; lubentius addidissem formas multas definitas (nec accidentales) e statione et solo diversas, acute licet haud limitandas. De his vero *Cfr. Bot. Not.* 1840.

BETULINEAE. Koch Syn. p. 760. Supra p. 58.

1. BETULA. Aliae in Germania, aliae in Scandinavia hujus generis rationes. Nobis vulgatissima, Betuleta nostra in planitiebus vastissima constituens, in borealibus et alpinis sola obvia est *B. glutinosa* Wallr.; arbor excelsa, cortice albo (nec scruposo *B. verrucosae*) excellens. Omnes definitiones Linnaeanae reliquaque omnia ab hac sumta sunt, quare nomen Linnaeanum, trium specierum collectivum, servamus tantum latiori sensu in eorum usum, qui recentius distinctas species non agnoscunt.

1. B. VERRUCOSA Ehrh. s. B. alba. Koch., Fr. Mant. II. Lusus nobis plures foliis lobatis laciniatisve, laciniis semper

acuminatis, sed mere individuales, solitariae et sporadicae, nec e seminibus redeuntes; ex radice agentes stolones foliis normalibus. Hinc monstrositates potius, quam varietates censeo. At notabilis var. est:

— *arbuscula*, foliis minutis subrotundo flabelliformibus crenato-dentatis obtusis. In provinciis rupestribus Dalekarliae etc.; etiam Upsaliae vidi. Arbuscula venusta, sesquiorgyalis, ramis pendulis, foliis facie et magnitudine *B. nanae*. Hybriditatum studiosi hybridam habeant.

2. B. GLUTINOSA. Wallr. s. B. alba. *L. Fl. Dan.* statura omnino prioris. et varietatem pendulam simul enititur. "Lobos squamarum lateralium recurvatos" numquam in hac vidi. Si hanc formam typicam, glabratam, per omnem Europam borealem vulgatissimam, pro varietate B. pubescentis proponamus, speciei idea prorsus subvertitur; exstat vero tam prioris, quam sequentis, praecipue locis turfosis, varietas:

— *fruticosa* s. B. pubescens a Koch., nunc glabra, nunc pubescens varia; at in *B. glutinosae* filia apud nos lobi squamarum laterales numquam recurvati.

2 b. B. ALPESTRIS, foliis subrotundis obtuse serratis obtusis glaberrimis, *subtus laevibus*, *amentis* fructiferis *pedunculatis erectis*, pedunculo amentum aequante, lobis squamarum digitato-trifidis, *laciniis distantibus porrectis subaequalibus*, nucibus obovatis, ala cinctis latitudinem nucis aequante. B. nana v. intermedia. *Hartm. Vet. Ac. Handl.* 1818. *p.* 148. B. alba v. interm. *Wahl. Suec. p.* 624. B. humilis *Hartm. Scand.* 2. *p.* 228. nec Schrank, Koch. Locis turfosis alpinis et subalpinis Norvegiae et Sueciae borealis passim copiose; in Lapponia vero rarior, praecipue boreali. ♄. Jun. Valde analoga cum *B. intermedia* Thom!, sed haec ad *B. albam* accedit, ut alpestris ad *B. glutinosam*. B. alpestris semper quidem fruticosa est, vix orgyalis, foliis fere *B. nanae*; meo sensu tamen ad primam sectionem Kochii s. Arborescentium potius referenda quam ad fruticosarum ob truncum crassum, ramos torulosos breves, folia haud elevato-venosa c. s. p.

4 B. HUMILIS. Ad Finlandiae limites, in Ingria copiosa, in Finlandia orientali investiganda.

II. ALNUS. Hujus species ludunt foliis pinnatifido-lobatis.

5 A. PUBESCENS s. A. barbata *C. A. Meyer.* Si hanc varietatem A. incanae dixeris haud multum dissentiar; affinium vero esse hybriditatem prorsus denego; nam in omnibus nostris provinciis, in quibus *A. glutinosa* et *incana* copiosae pro-

miscue nascuntur, prorsus deest; sola vero regnat in Lapponia boreali postquam A. glutinosa jam in Succia boreali et dein ipsa A. incana desisterunt. Ut in Lich. Eur. p. 349 de Umbilicariis jam observatum est, in Europae borealis planitiebus variae species optime segregantur utpote discretae nascentes, altera extra alteram diversas vulgo occupantes plagas, quae in alpibus Europae mediae accumulantur et absque definitis limitibus stipantur, quare earum historia difficilius observatur.

POTAMOGETONEAE. Koch. p 774. Supra p. 68.

POTAMOGETON. Dispositionem in Nov. Fl. Suec. p. 27. datam supra servavi. Sectiones primarii, *Plantaginifolii* et *Graminifolii*, ita a natura limitatae, ut ab omnibus, variata modo proponendi forma, agnoscantur. Illos vero e foliis natantibus coriaceis, membranaceis et nullis ulterius distribuere artificiale mihi videtur, nec constans. *P. lucens*, etiam si vere heterophyllus non legeretur, ob affinitatem summam a reliquis heterophyllis grege movere non possum. Sectiones vero *Natantium* (caule simplicissimo, *foliis* natantibus *necessariis*, siccitate plus minus rufescentibus) et *Lucentium* (caule ramoso, foliis natantibus nullis l. accessoriis) vere naturales censeo. — In Contin. Iconogr. Reichenb. egregia hujus generis exhibetur monographia, at magnopere dolemus Illustriss. Virum nomina Linnaeana, prorsus clara et extra dubium posita, ab ipso olim optime proposita, nescio quo infelici casu, deseruisse. — Sunt sane nomina omnia Linnaeana hujus generis e fontibus indubiis certiora et clariora quam in ullo alio. Cfr. quoque Meyeri *Chorin Hannover.* Etiam ante recentiores hypercriticas confusiones omnes optime interpretatus est egregius *Rafn in Danm. et Holst. Fl.*

2 P. OBLONGUS. Nullam magis mutabilem novi Potamogeti speciem, foliorum forma diversissimas species aemulatur. Praeter varietatem *latifoliam* et *angustifoliam* (Nov. Fl. Suec. p. 29, 30), duae insuper exhibentur formae in H. N. Harum altera (P. coloratus. *Herb. Hornem.*! cfr. Novit. Fl. Suec. p. 302!) P. rufescentem quoddammodo refert; in *Reich. Ic. Pot. t.* 44. *f.* 79—81 P. Polygonifolius Pourr. dicitur; altera vero foliis natantibus anguste lanceolatis et laete viridibus ad *P. spathulatum* accedit, sed inter haec extrema plurimae adsunt formae intermediae.

3 P. SPARGANIFOLIUS (Laestad. in Nov. Mant. 1. p. 9) foliis submersis sessilibus membranaceis linearibus longissimis, supremis lineari-lanceolatis acuminatis in petiolum attenuatis,

natantibus longe petiolatis subcoriaceis oblongo-lanceolatis, pedunculo aequali, fructibus recentibus lenticulari-compressis margine acuto instructis, caule simplicissimo. *Nov. Act. Ups. XI. p.* 241, 294. P. fluitans *Liljebl.! Sv. Fl.* 2. In fluviis Lapponiae praecipue borealis, v. c. in Mounioelf multis locis frequens. ♃. Jul. Aug. Affinitate naturali cum P. natante intime conjunctus (petiolis nempe in phyllodia, plures pedes longa exacte Sparganii natantis, mutatis), licet facies diversissima. Folia natantia interdum deficiunt, tamen necessaria; his enim privatus semper sterilis est. Fructus minuti P. oblongi.

6 P. Hornemanni. Huic P. Hornemanni nomen eo minus convenit, cum in Herb Horn. sub hoc nomine servetur P. oblongus v. Hornemanni. Cfr. *Fr. Nov. p.* 302. P. coloratus *Fl. Dan. t.* 1449, quem Vahlius (nec Hornemann! pingi curavit et determinavit, ad *P. oblongum* non pertinet; icone et Dreyero, cui eximia debeo specimina, suadentibus sistit *P. plantagineum* Ducros — Reich l. c. t. 45 optime! Primus vero hujus speciei inventor Hoffman-Bang, qui hanc plantam Vahlio indigitaverat, nobisque adhuc senectute viridissima sospes, multis mecum communicatis speciminibus testatur genuinam esse plantam, quam nos in H. N. IX. 75 (P. colorato affin.) exhibuimus. De hac cfr. infra. Ex his patet P. Hornemanni nomen omnino erroneum esse et P. colorati dubiis adhuc premi.

6 b. P. nigrescens (Fr. Mant. III. p. 17) foliis omnibus membranaceis, submersis lanceolatis sessilibus obtusis, natantibus ovalibus in petiolum folio longiorem attenuatis, pedunculis tenuibus aequalibus, fructibus compressis siccitate carinatis, caule subramoso. "P. rufesc. var." *Laestad. in Fr. Nov. p.* 41! In fluviis Smolandiae, Lapponiae Pithensis ♃. Jul. Aug. A *P. rufescente* valde differt P. gramineo proximus et inter utrumque medium omnino locum tenet P. coloratus *Hoffm. Bang.* Cfr. n. 6. — Descriptio Wilsonii *P. lanceolati* Smith in Hook. Brit. IV. p 70. optime quadrat; a *P. salicifolio*, ad quam hanc speciem refert Cel. Reichenbach, tam descriptio, quam icon (Engl Bot. t. 1685) longe recedunt.

7 P. gramineus. Synonymon Linnaeanum certissimum esse ex omnibus fontibus clare elucet. Sat erit citare Herb. Celsian.!, a Linnaeo citatum, et synonymon Fl. Lapp, quod ad P. obtusifolium "certissime" pertinere perperam omnino fingitur. Cfr. Laest. in Vet. Ac. Handl. 1825, qui ut omnes recentiores peregrinatores in ista regione tantum *P. gramineum* nostrum

legerunt. *P. obtusifolius* in Suecia valde rarus, e boreali et omni Lapponia prorsus exulat!

10 P. DECIPIENS Nolt.! Hanc plantam, P. nitenti proximam, Upsaliae hoc anno quoque detexi. Pedunculi toti incrassati. Fructus apud nos semper abortivi videntur.

11 b. P. SALICIFOLIUS (Wolfg.! in Röm. Schult. Mant. p. 355) foliis omnibus submersis membranaceis pellucidis a basi semi-amplexicauli oblongo-lanceolatis reticulatis, margine undulatis, pedunculis aequalibus, fructibus recentibus compressis margine obtusis rotundatis. P. gramineum v. boreale. *Laest. in Vet. Ac. Handl.* 1825. *p.* 162. *Cfr. Fr. Nov. p.* 41! P. lanceolatus. *Reich. Potam. t.* 55. In fluviis Sueciae borealis v. c. Angermanniae ♃. Jul. Aug. Habitu P. praelongo similis, at e nucibus, quas ipse vero non vidi, *P. gramineo* proximus, cui etiam subjunxit primus inventor, Laestadius.

In collectione amic. Lund vidi specimen Norvegicum *P. longifolii* Gay, cum sp. autographo *P. macrophylli* d. Wolfgang! a Cel. Horaninow misso exacte congruo; at cum omni loco carebat, hanc speciem prorsus omisi.

14 P. COMPRESSUS. Infauste sane d. Schumacher hoc et *P. marinum* L. tamquam species novas proposuit; ipsius popularis et aequalis, longe accuratior *Rafn* jam pridem sub veris nominibus Linnaeanis exposuerat. Linnaeum sub *P. compresso* tantum intellexisse *P. zosteraefolium*, vulgatissimum et maxime spectabilem in Succia, reliquis inconspicuis, inter Botanicos Sueciae olim constabat et iterum uno ore agnitum est. Patet e synonymo Rayi, *nominis fonte*, e descriptionibus, locis natalibus omniumque Linnaei aequalium et discipulorum herbariis, quibus hunc pro *P. compresso* ipse determinavit!

16 P. RUTILUS (Wolfgang in R. S. Mant. p. 362) foliis omnibus submersis membranaceis pellucidis sessilibus linearibus *trinerviis attenuatocuspidatis*, basi biglandulosis, "*caule semitereti*" basi caespitoso ramosissimo, fructibus oblongo-ellipticis ecarinatis. *Reich. Ic. t.* 23. optima. In lacubus solo arenoso in Cimbria. ♃. Jul. Aug. A *P. pusillo* omnino diversum censeo; sed equidem olim pro var. majori *P. gracilis* habui, cum quo habitu stricto caespitoso, foliis longe acuminatis, fructu ecarinato et colore succineo nigrescente convenit; nunc vero, ex obss. accurat. Noltei, caulem uno latere esse planum, altero teretem, distinxi.

17 P. GRACILIS (Fr. Nov. p. 50) *foliis* omnibus submersis membranaceis pellucidis sessilibus linearisetaceis *uninervibus*

nveniis *attenuato-cuspidatis*, *caule* pedunculisque *teretibus*, spica subglobosa pauciflora, fructibus globoso-ellipticis ecarinatis. In aqua salsa ad Landskrona Scaniae a me hactenus tantum lectus; indicatur quoque in Dania, at cum *P. pusillo tenuissimo* videtur saepe commutari. ♃. Jul. Aug. A *P. pusillo tenuissimo* Mart. et Koch. certe diversus; herba prorsus *P. trichodis* at fructus diversissimi. Siccitate nigrescit.

19 a. P. ZOSTERACEUS (Fr. Nov. p. 51) *foliis* omnibus submersis membranaceis pellucidis basi vaginantibus linearibus planis *cum mucrone obtusis subquinquenervibus* venoso-reticulatis, *internodiis caulis basi compressis* apice incrassatis, verticillis spicae distantibus, seminibus subglobosis siccitate tricarinatis. *Hartm. Scand. ed.* 2, 3, 4. *Reich. ic. Pot. t.* 21. P. marinus. *Hartm. Scand.* 1. Ad littora Succiae mediae in mari baltico altiori passim ♃. Jul. Aug. Aegre saepe a *P. pectinato* dignoscitur, nam folia serius explicata conspicue angustiora trinervia modo. Primus hujus plantae inventor est Cel. *Hartman*, qui (amisso tum P. marino L. vero) in prima Enchiridii sui editione hunc *P. marinum* dicebat, omnibus vero fontibus (synonymo Bocconii, descriptione, loco natali) plane abhorrentibus mox sq. genuinum agnovit, ut argumentum inde sumtum, aeque ac a figura Fl. Dan. a Murrayo! sine examine ad P. *marinum* L. citata, ad hunc dubium reddendum prorsus nullum est.

20 P. MARINUS. Ad littora maris baltici frequens; in Europa austr. etiam aquas dulces inhabitat; sic etiam *Nayas marina*, *Ruppia*, *Zanichelliae* e. s. p., nobis tantum marinae, ibidem etiam aquas dulces incolunt. — Qua mente vero dubia de synonymo Linnaeano ab ullo moveri possint, nemo, qui fontes contulerit, capere possit! *Nullius sane plantae certius! purius! P. marinum* sub itinere Gottlandico (*It. Gottl. p.* 221) detexit Linnaeus, sub indubio Bocconii nomine proposuit, clare descripsit locoque ab ipso accurate indicato hic, et nullus alius similis, quotannis colligitur. Hinc antiquioribus Botanicis, tam Europae borealis quam australis, dubiis carebat, donec Smithius cum P. pectinato conjunxisset — postquam vero genuina planta, loco Linnaeano, icone citata et descriptione bona clara, iterum recognita, *de nomine Linnaeano omnia dubia prorsus temeraria.*

ORCHIDEAE. Koch. syn. p. 788. Supra p. 61.

1. ORCHIS. Species sectionis 3 apud nos luxuriant.

17 O. LATIFOLIA. Cfr. Fr. Mant. 3 p. 127. (Definitio Linnaeana et loca in Linn. Suec. ed 1. ad O. sambucinam plene per-

tinent.) Cum omnes affines aliam habent formam latifoliam, aliam angustifoliam, ut talis hujus subjungatur:

*ELATIOR (H. N VIII. 67) caule elato fistuloso, foliis lineari-lanceolatis maculatis patulis. O. maculata β. majalis. *Wahlnb. Suec. n.* 978. In paludibus Gottlandiae. Nisi caulis fistulosus *O. maculatae* magis affinem haberem et forsan haec "O. maculata Ruthenorum caule fistuloso". In vivo ulterius exploranda; cum *O. incarnata* neutiquam conjungi potest. Bracteae longissimae. — In *O. incarnata* bracteae floribus nunc longiores, nunc breviores, quales in H. N. exhibui.

19 b. O. CRUENTA (Müll. in Fl. Dan. t. 876) labello trilobo crenulato calcare conico descendente *ovario alato* breviori, perigonii laciniis lateralibus patentibus adsceadentibus, bracteis flores aequantibus trinervibus venosisque, *caule fistuloso* 4-6-folio, *foliis excurvis subfalcatis* ovato-lanceolatis, inferioribus acutis, superioribus lanceolatis acuminatis, tuberibus palmatis. *Hartm.* (*Swartz*) *Vet. Ac. Handl.* 1818. *p.* 146. *Wahl. Suec. n.* 979 Locis paludosis Sueciae borealis (Jemtlandia) Norvegiaequ adjacentis sat copiose, in Finmarkiam usque. *O. incarnatae* nimis affinis; at minor, tenuior, folia excurva obscure purpureo-maculata quasi cruentata, flores minores, ovaria (exsiccatione?) alata. Bractearum longitudo in utraque varia. — *O cruentam* non vidit *Retzius*, at e Flora Danica recepit. *O. cruenta* Rochel! O. cordigera. *Mant. III.*, est ab his omnibus bene diversa.

19 c. O. CURVIFOLIA (Nyl. Spic. II. p. 11) labello trilobo crenulato, calcare conico descendente ovario alato breviori, perigonii laciniis lateralibus patentibus subreflexis, bracteis flores aequantibus venosis trinervibus, caule farcto, *foliis* 3-4 anguste lanceolatis *complicato-carinatis* canaliculatis *circinali-recurvatis*, tuberibus palmatis. *Ångström! in Bot. Not. p.* 50. In paludibus sphagnosis ad Tjudje et Käppesalka in Carelia Rossica. Specimina nostra (ut supra O recurva dicta, sed O. curvifolia in Spic. audit) tota facie a praecedente differunt; *O. maculatam* ("caulis solidus" Ångström, "fistulosus" Nylander) magis referunt. Ovarium costis membranaceis alatum forte exsiccatione oritur. Spica sat gracilis, laxa. Flores "purpurei" Nylander; in meis spec. pallidi.

VI. PLATANTHERA. Eximium Florae nostrae decus:

1 a. P. OBTUSATA (Lindl. Orch. p. 284) folio oblongo-obovato solitario, spica laxiuscula, perigonii laciniis oblongo-ovatis acutis, calcare conico labellum lineare aequante, germine breviori. *Nov. Mant. III. p.* 231. *Hook. Bor. Am. II. p.*

196. *t.* 199. Locis graminosis in Strömnaeset ad Kaafjord Finmarkiae. Blytt. Digitalis, facie congenerum, at distinctissima.

XVI. EPIPACTIS. Genus assidue observandum; color florum valde fallax est. Plures latere tamen fingo species:

2 E. MEDIA (Fr. Mant. 2. p. 54) est quidem E. rubiginosa Koch, sed color florum variat albus, roseus e. s. p. ut e florum colore has species denominare nolui. S. latifoliae varr. viridiflora et atrorubens *Hoffm.* aequo jure in formis E. latifoliae quaeras.

XXI. CORALLORHIZA. In Flora Danica duas species pingi curavit Dreyer, quorum definitiones hoc loco transcribere juvabit:

1 C. INNATA (Brown) racemo paucifloro, androstylio incurvo-nutante, labello oblongo emarginato indiviso basin versus denticulo obtuso utrinque instructo, ovario striato, caule laeviusulo. C. virescens. *Fl. Dan. t.* 2863. Locis humidis umbrosis silvarum.

2 C. ERICETORUM (Drey. in Fl. Dan. t. 2364) racemo paucifloro, androstylio erecto bicurvo, labello oblongo subtrilobo, intermedio apice emarginato, ovario alato, alis crenatis, caule subsulcato. In ericetis arenosis prope Flaskekroen Saelandiae. (Simili statione lecta Corallorhiza ad Foglahuset prope Keften Lundensium Scaniae: Cfr. *Fl. Scan.*)

Trib. III—IV. VANDEAE. Anthera terminalis, vel infra-apicillaris, opercularis. Pollen in massas ceraceas definitas, sub anthesi caudiculae elasticae et stigmatis glandulae affixas, cohaerens.

XXIII. b. CALYPSO (Salisb. Parad. t. 89). Perigonium patens. Labellum concavum, sub apice saccatum, trilobum, lobis lateralibus connatis, intermedio dilatato barbato suppositis: Columna erecta, petaloideo-appendiculata. Pollinia bina, bipartita in glandula subquadrata transversa sessilia.

1 C. BOREALIS (Salisb. l. c.) Linn. Lapp. t. 12. f. 5. Cypripedium bulbosum. *Linn. Suec. n.* 821. Limodorum boreale. *Willd.* Orchidium. *Swartz in Sv. Bot. t.* 318. Norna. *Whlnb. Suec. n.* 991. In Lapponia primus detexit d. Rudbeck, sed ad nostra tempora loci speciales latuerunt; nuperius vero multis locis obvia; in Lapponia Umensi ad Stensele et Wilhelmina; in Lulensi circa Jockmock pluribus locis; etiam Westrobottniae ad Tengliö juxta Öfver-Torneå, et ad Skelefteå in Falkberget lecta; in Fennia boreali ad Kemi copiosior obvia. ♃. Majo primoque Junio, mox post liquescentem nivem.

hinc peregrinatoribus serioribus latuit. Planta arctica, venustissima, folio e tubere radicali solitario ovato, scapo digitali unifloro, flore specioso albo-rubello, labello punctato.

JUNCACEAE Koch. p. 857. Supra p. 65.

I. JUNCUS. Hoc genus in Fl. Scand. a Germanica minus recedit, quam Luzulae. Una alterave modo species nobis priva v. c. *I. biglumis*, aliae in Germania rarissimae apud nos copiosae v. c. *I. arcticus*, *I. stygius*, qui per omnes regiones piniferas Scandinaviae frequens.

1 I. BIGLUMIS (Linn. Spec. p. 467) culmo nudo, foliis radicalibus vaginantibus subulatis, *floribus binis terminalibus, altero pedicellato*, bractea foliacea terminali oppositis, capsulis apice retusis calyce longioribus. *Linn. Am. Ac.* 2. *t.* 5. *Fl. Dan. t.* 120. *Sv. Bot. t.* 497. *f.* 3. Per alpes Scandin. totius, locis irriguis. ♃. Jul.

17 b. I. PYGMAEUS (Thuill. par. p. 178) culmo nudo, foliis radicalibus vaginantibus planis subsetaceis, capitulis solitariis binisve, altero pedunculato, altero folio erecto bracteato, *perigonii phyllis subaequalibus lanceolato-linearibus* acutis, capsulam pyramidatam superantibus. *Fl. Dan. t.* 1871. *Nolt. Nov. p.* 39. *Fr. Nov. p.* 93. Locis arenosis humidis ad mare occidentale Daniae usque ad Skagern, Scaniae ad Hvellinge lectus, sed ubique sporadicus, vulgo Lepturi socius. ♃. Jul. Aug. Similior I. bufonio fasciculato, quam I. capitato.

II. LUZULA. Nostrae alpinae Germanicis analogis affines, at non plane congruunt. Praepollent in G. species anthela effusa, apud nos spicata. *L. nigricans*, quae in G. a *Luz. multiflora* derivatur, apud nos (saltim illa in paludosis ericetosis Smolandiae a me lecta) a L. campestri originem ducit.

5. L. GLABRATA. Huic proxima et subjuncta est L. parviflora β. *Wahlnb. Suec. n.* 589. I. spadiceus. *Wahl. Lapp. n.* 163. L. spadicea. *Hartm. et Bot. Scand.*, at non Auct. Ext. Statura vero humiliori, panicula minus composita, filamentis anthera vix triplo brevioribus nonnihil differt, ut, nisi L. glabratae in vivo observatores (Wahlenberg et Blytt.) identitatem testarentur, sub *L. borealis* nomine distinguerem. Per alpes Scandinaviae altioris totius. A *L. parviflora*, rariori et magis boreali, facile dignoscitur statura humiliori, culmo superne nudo, bracteolis fimbriatis, floribus majoribus, perianthii phyllis fusco-atris hyalino-marginatis, antheris c. s. p. An longitudo filamentorum ad species distinguendas sufficit?

6 L. SPADICEA. Huic analoga, at conspicue diversa:

L. PARVIFLORA (Ehrh. Beytr. 6. p. 139 sub Junco) anthela supradecomposita bracteam foliaceam aequante, *bracteolis integris*, ramis demum nutantibus, pedunculis unifloris perigonii phyllis capsulam vix aequantibus, stylo ovario breviori, foliis lanceolato-linearibus glabris. *Wahlnb. Lapp. p.* 85. *Fl. Dan. t.* 1929. In nemoribus subalpinis Lapponiae praecipue borealis; nec non in alpibus Norvegiae altioribus, Dovre, Filefjäll etc. Elatior, culmo ad apicem folioso, foliis latis tenuibus flaccidis laete viridibus, floribus exiguis pallidioribus. Est potius arctica quam alpina planta, arcticarum more in summis alpibus Norvegiae vagans.

7 L. ALBIDA. Alpes nostras et plagas montanas fugit, in Saellandia litorali modo lecta.

11. L. MULTIFLORA. Tam forma vulgaris, quam v. *congesta* occurrunt spiculis pallidioribus, vix varietates dicendae; conspicue vero, monente Kochio, recedit:

*L. PALLESCENS (Whlnb. Lapp. p. 87 Juncus) spicis umbellatis oblongis pedunculatis, pedunculis patentibus, bractea foliacea amplexicauli fultis, perigonii phyllis acuminatis capsulam subrotundam obtusam aequantibus, culmo compresso, foliis planis margine pilosis denique glabris. *Linn. Lapp. n.* 127. *t,* 10 *f.* 2. L. campestris. *β. Whlnb. Suec.* In graminosis subalpinis Scandinaviae totius passim usque ad Wermlandiam montanam ♃. Jun. Videtur peculiaris species etiam a formis pallentibus *L. multiflorae* facile primo obtutu distincta; at vix nisi notis relativis distincta, culmis debilioribus, foliis angustioribus, spiculis numerosis, ob bracteam foliosam erectam sub anthesi subsecundis et, ob flores conspicue minores, minoribus magisque oblongis.

11. b. L. ARCUATA (Wahl. Lapp. p. 87. t. 4. excl. *β.*) spicis umbellatis paucifloris globosis nutantibus, *pedunculis divaricatis recurvis* bracteola squamacea vaginante fimbriata suffultis, perigonii phyllis subaequalibus lanceolatis acuminatis capsulam ellipticam superantibus, *foliis canaliculatis* recurvis glabris. *Wahl. Suec. n.* 391. *Hook. Lond. t.* 151. Locis udis sterilibus per alpes Scandinaviae totius. ♃. Jul. Aug. Gramen duriusculum, caespitosum, stoloniferum, spicis minutis 4-5 floris, pedunculis vulgo capillaribus.

11. c. L. HYPERBOREA (R. Brown in Parry Voy. p 283) *spicis multifloris globosis in capitulum congestis* paucisve pedunculatis erectis bractea subfoliacea suffultis, perigonii phyllis subaequalibus lanceolatis acutis capsulam subrotundam aequan-

tibus, *foliis planis* glabris. Formam spicis lateralibus pedunculatis sistunt *Fl. Dan. t.* 1386. L. arcuatus β. *Whlnb. Lapp. p.* 166; spicis omnibus in capitulum congestis L. campestris nivalis. *Laestad. in Vet. Ac. H.* 1822. *p.* 334. *Whlnb. Suec. n.* 390. L. hyperborea. *Hartm.* In alpibus summis cum praecedente, praecipue in Norvegia. ♃. Jul. Aug. Inter L. arcuatam et campestrem intermedia; ab hac floribus duplo minoribus praecipue distincta.

CYPERACEAE. Koch. syn. p. 848. Supra p. 68.

V. HELEOCHARIS. Genus supra omisi, cum limites non plene naturales videantur.

3 H. MULTICAULIS. Radix non fibrosa, sed vegetatio dense caespitosa e rhizomate brevi obliquo subrepente, postice marcescente, antice lente increscente, numquam vero stolonifero. Sub inundatione autumnali spica vivipara, culmis arcuatis deflexis saepe radicat ut in Scirpo radicante. Cfr. ceterum *Nov. Mant. I. p.* 3—5!

Obs. H. uniglumis, ad littora lacus Bolmen eodem solo et loco cum S. lacustri mixtus, specie a Sc. palustri, me judice, certe diversus; at *Scirpus lacustris* et *glaucus*, e solo salino natus, numquam promiscui, per multos gradus intermedios in se invicem transeunt.

VIII. ERIOPHORUM. Accedit species arctica:

2 b. E. RUSSEOLUM (Fr. Nov. Mant. III. p. 67) *culmo solitario* tereti glabro gracili, foliis filiformibus laevibus, spica oblonga, *squamis mucronatis opacis*, margine pellucido. *Nyl. nd. Spic. I. p.* 6. *n.* 5. In paludosis Lapponiae Lulensis (*Anderson*) Tornensis (*Laestadius*) Finlandiae borealis (*Nylander l. c.*) Lana fulvo-rubella. *E. Chamissonis* C. A. Meyer, pro quo primo habui, est omnino *E. capitatum* Suecorum.

VI. CAREX. Hoc, ut Salicis genus, centrum suum habet in zona frigida indeque specierum Scandinavicarum numerus numerum Germanicarum aequat, nisi superat. Hoc clarius elucet, si computemus multas species nobis vulgatas, in Germania rarissimas et fere incertas cives. Est vero praecipue Caricum distigmaticarum copiis Flora Scandinavica excellit.

1 C. DIOICA. Spica feminea ovalis densa, squamis ovatis obtusis. Fructus maturi ovati, dense imbricati, at *non erectiusculi*, sed excurvato-patentes, dorso convexi antice plani, in rostrum compressum breve attenuatis. Variat radice laxa sto-

lonifera et condensata subcaespitosa, culmis interdum superne scabris.

1 b. C. PARALLELA (Sommerf. Lapp. p. 59) spicula terminali solitaria dioica, feminea lineari rariflora, squamis ovatis acutis, *fructibus* leviter patulis *ovato-lanceolatis* nervosis *undique glabris dorso convexis, antice planis*, rostro compresso, stigmatibus binis, radice stolonifera, foliis angustissimis canaliculatis. C. dioica. β. *Laestad. in Vet. Ac. Handl.* 1822. *p.* 338. Per alpes Scandinaviae facile totius locisque paludosis Lapp. Rossicae (Nyl. Sp. 2. p. 58) ♃. Jul. Habitus potius *C. Davallianae*, quam *C. dioicae*, culmo foliisque asperulis varia, at vegetatio laxa, numquam dense caespitosa, *C. dioicae* vulgo altior, gracilior et praecipue fructus conspicue longiores, angustiores, erectiusculi. C. Redowskyana *C. A. Meyer.* nostrae simillima.

2 b. C. GYNOCRATES (Wormsk., Dreyer in Kröy. Tidskr. 5. p. 434) spicula terminali solitaria polygamo-dioica, feminea lineari-oblonga, squamis ovatis acutis, *fructibus ellipsoideis utrinque convexis* squarroso-patentibus nervosis *glabris*, rostro teretiusculo, stigmatibus binis, radice stolonifera, foliis setaceis apice canaliculatis. *Kunz. Car. t.* 31. *f.* 1. *Fr. Mant. III. p.* 134. Kobr. Scirpina. *Fl. Dan. t.* 1529. Locis paludosis zonae arcticae; in Saltdalia (*Sommerfelt*), Lapponiae borealis (*Laestadius*). — Ex errore Hornemann in Fl. Dan. hanc loco sq., quae K. scirpinam *Wormsk.!*, ab ipso citatam, sistit, pingi curavit.

4. b. C. NARDINA (Fries Nov. Mant. II. p. 55) *spicula* terminali solitaria ovata *androgyna* superne mascula, stigmatibus 2, *fructibus* erectis stipitatis *oblongis* obsolete nervosis angulis scabriusculis, rostro brevi bidentato squamas obtusas superantibus, culmo tereti foliisque subulatis canaliculatis, *vaginis scariosis striatis* caespitosostipatis. *Mant. III. p.* 134. *Kunze Car. t.* 23. *f.* 2. *Drey. in Car. bor. p.* 436. *Fl. Dan. t.* 2365. C. Hepburnii *Boott. in Hook. bor. Am. t.* 207. Kobresia nardina. *Horn. Nomencl. Fl. Dan. p.* 73 excl. syn. In alpibus, locis asperis duris, Lapponiae Lulensis ad Virijaur, Nordlandiae in Junkersdalen (utroque loco detexit *J. Ångström*) Finmarkiae ad Tromsö (Blytt) ♃. Jul. Valde insignis, vegetione *Nardi strictae*, ex habitu Cobresia. Specimina grönlandica jam 1819 a me *C. nardina* dicta indeque orta *C. nardina. Horn.* In Grönlandia vulgo elatior quam apud nos.

13 a. C. ARCTICA (Deinb. ined.) spiculis paucis (2-4) in capitulum oblongo-lanceolatum stipatis, terminali basi mascula,

stigmatibus 2, *fructibus* substipitatis *ovatis antice convexis* obsolete nervosis *in rostrum membranaceum apice bidentatum* (antice longius fissum) *acuminatis*, carinis superne serrulatis, squamam ovatam obtusam superantibus, foliis complicatis *culmoque* flaccido laevibus. *Fr. Mant. III. p.* 135. C. Deinbolliana. *Gay in Ann. Sc. Nat.* 1838. *p.* 185. In arenosis ad oceanum in Finmarkia. ♃. Jun. Jul. Characteribus habituque ad *C. stenophyllam* maxime accedit, sed *C. incurvae* proxima. "Definitam supra C. incurvam occupat zonam, in hanc non transiens, sed a statione diversa ejusdem forsan filia." *Blytt.* in litt.

55. b. C. FESTIVA (Devey, Drey. Car. bor. I. c. p. 441) spica composita, spiculis subsenis ovatis in *capitulum subrotundum* congestis, inferne masculis, stigmatibus 2, *fructibus obovato-ellipticis* planoconvexis nervosis rostratis, margine serrulatis, ore hyalino lobato, squamas ovatas obtusas superantibus, radice caespitosa. *Nov. Mant. III. p.* 156. *Fl. Dan. t.* 2367. In alpibus Lapponiae, Finmarkiae. ♃. Jul. Haec medium inter C. leporinam et lagopinam tenet locum, cum prioris var. *capitata* Sond. (Fl. Dan. t. 2366) non commutanda. Spica digitata, spadiceo-fusca.

58 b. C. GLAREOSA (Wahlnb. Lapp. p. 238) spica composita, spiculis ternis oblongis lateralibus femineis, terminali basi vel tota mascula, stigmatibus 2, *fructibus oblongis semiteretibus* nervosis longe attenuatis, squamas acuminatas aequantibus, culmo laevi foliisque conduplicatis flaccidis. *Sv. Bot. t.* 545. Ad litora glareosa maris borealis et sinus bottnici totius passim. ♃. Jun. Squamae normaliter fuscae, ut reliquarum variant albidae. Haec species ad *C. heleonastem* accedit, ut C. arctica ad C. incurvam.

58 c. C. NORVEGICA (Willd. Spec. IV. p. 227) spica composita, spiculis 4-5 oblongis turgidis approximatis, lateralibus femineis, terminali clavata inferne mascula, *fructibus stipitatis subrotundis* convexulis *obtusis* nervosis squama obtusissima obtectis, rostro brevi integerrimo, culmo erecto laevi, foliis planis, radice stolonifera. *Wahl. Lapp. p.* 233. *t.* 15. *f.* 3. Ad littora limosa maris borealis et baltici usque ad Blekingiam passim. ♃. Majo, Jun. Caespitosa et stolonifera simul, obesior, foliis latis mollibus brevibus, flavescentibus, *C. canescenti robustae* haud absimilis, sed spiculae fulvo-fuscescentes.

59 b. C. VITILIS (Fr. Nov. Mant. III. p. 157) spica composita, spiculis quinis subglobosis alternis remotiusculis, inferne masculis, stigmatibus 2, *fructibus ovatis marginatis squarrosis*, *latere inte-*

riori plano laevi, in *rostrum integrum* margine scabriusculum basique attenuatis, gluma acuta longioribus, culmo laevi. C. Gebhardi *Hartm. Sc.* 3 non Schkuhr. Locis humidis montosis et alpestribus Norvegiae et Sueciae borealis mediaeque usque ad Vermlandiam. ♃. C *canescente* maxime affinis, sed gracilior (etsi in societate C. canesc. obesae nascetur) spica basi vulgo longe bracteata, fructus intus prorsus laeves, extus convexi obsolete nervoso-striati, rostro longiori patente. — Sunt qui pro *C. Persoonii* Sieb. habent; at nec descriptio (fructus adpressi, a medio modo ad apicem angustissime marginati, rostro recto lateraliter fisso) nec specimina nostra congruunt.

40 b. C. TENUIFLORA (Whlnb. Lapp. p. 252) spica composita, spiculis ternis confertis inferne masculis, fructiferis globosis, stigmatibus 2, *fructibus ovato-oblongis erectis marginatis acutis nervosis erostratis ore integerrimo*, squama longioribus, culmis asperulis, radice caespitosa. *Schkuhr* t. Eeee f. 187. In paludosis Sueciae borealis, Finlandiae orientalis, praecipue vero in Lapponia silvatica omni, Tornensi copiosissima. Spiculae pauciflorae, florentes minutae, flavescentes, fructiferae ampliores albentes. Cum *C. macilenta*, *loliacea*, *tenella* peculiarem stirpem fructu erostrato sistit.

40. c. C. MACILENTA (Fr. H. N. VII.) spica composita, spiculis 3-4 approximatis inferne masculis, fructiferis obovatis, stigmatibus 2, *fructibus oblongis compressis immarginatis obtusis erostratis obsolete nervosis, ore bifido*, squama obtectis, culmo asperulo, radice stolonifera. *Nyland. Spic. II. p.* 34. In paludosis subalpinis v. c. Björnstad ad Amodt Norvegiae (*Blytt*), Finlandiae orientalis (*Nylander*). Inter C. loliaceam et C. tenuifloram media, sed in C. vitilis societate nascens. Spiculae albicantes, squamarum nervo viridi, interdum 4, 5, inferioribus remotioribus.

41 b. C. TENELLA (Schkuhr Riedgr. t. Pp. f. 104) spica composita, spiculis 3-5 remotis subtrifloris, *apice terminalive tota masculis*, stigmatibus 2, *fructibus ovalibus obtusis erostratis obsolete nervosis*, squama ovato-lanceolata acuta triplo longioribus, ore integro, culmis flaccidis asperulis, radice stolonifera. C. Blyttii. *Fr. Nyl. Spic.* 2. *p.* 35. In paludibus frigidis, multis Norvegiae, Sueciae borealis et Finlandiae locis lecta, passim in *C. loliaceae* consortio, tamen distincta. ♃. Jun. *C. loliacea* adhuc tenuior, humilior, fructibus vulgo binis et a *C. disperma* Dewey! aegre aut vix discernenda. Cfr. *Tuckerman!* Praeter situm staminum, forte varium, C. loliacea praecipue differt fructibus magis elongatis marginatis nervis numerosissimis elevatis dense et eleganter striatis, minus turgidis et maturis squar-

rosis. — *C. tenella* a multis pro *C. loliacea* (Cfr. Tuckerman Car. Amer.) sumitur et forsan *C. loliacea* ipsius Schkuhrii, saltim Willdenowius, Schkuhrium de situ staminum castigans, optime monente amiciss. Nylander, ipse errat.

Sect. V. Legitimae, distigmaticae B. erostratae *Koch syn. p.* 872. *n.* 45—50. Species hujus gregis tot insignes et privas Scandinavia alit, ut omnium exhibere synopsin videatur necessarium. Sub *C. caespitosae* nomine in diversis terris venduntur species adeo diversae, ut vix ullibi confusio major. *C. caespitosa* L. et omn. Bot. Suec. est tamen species maxime definita, unicuique rusticorum Sueciae notissima (*Tuf-starr* i. e. caespitosa Carex dicta) a Linnaeo plene descripta, ut de hujus nomine nulla dubia moveri possint. Haec in terris borealibus omnium copiosissima, jam in Germania videtur rarescere. Ut affinitas specierum clarius elucescat, species in stirpes minores collegimus Inter characteres primi ordinis numerandi *culmi floriferi aphyllopodi* i. e. basi modo squamis aphyllis excepti et *phyllopodi* i. e. basi foliis perfectis vaginati. Cfr. *Nov. Mant. III. Bot. Not.* 1843. *n.* 7, 1845. *n.* 7, 8.

a. *Spiculosae* s. stirps C. maritimae. *Aphyllopodae*, vaginis fissis flocculosis l. fibrillosis. Culmi virginei nutantes, foliis bracteisque foliaceis planis. Spicae masculae subbinae erectae, femineae longe et exserte pedunculatae, *pedunculis* gracilibus *basi ocrea integra sphacelata vaginatis! Squamae triplinerves* fructus oblegentes, *nervo in aristam l. mucronem serratum excurrente.* Cum *C. salinis*, vide infra, summam habent analogiam, a Germanicis diversissimae. — *C. cryptocarpa* variat squamis muticis.

1. C. maritima (Müll. in Fl. Dan. t. 703) *spicis exserte pedunculatis*, femineis distigmaticis oblongis pendulis, *squamis scariosis (pallidis)* triplinervibus *longe serrulato-aristatis* oblegentibus *fructus* obovatos compressos *obsolete nervosos*, culmo acutangulo basi aphyllo, foliis bracteisque planis, radice stolonifera. *Wahlnb. Lapp. p.* 245. Secus oceanum a Finmarkia per Norvegiam usque ad Gothoburgum. ♃. Jun. Nobilissima, valde elegans, latifolia, flavescens, spicis masculis subbinis.

2. C. Lyngbyi (Horn.! Fl. Dan. t. 1888) *spicis exserte pedunculatis*, femineis distigmaticis elongatis pendulis, *squamis* lanceolatis *fuscis* triplinervibus longe serrulato-aristatis oblegentibus *fructus* obovatos *costato-nervosos*, culmo acutangulo basi aphyllo, foliis bracteisque planis, radice stolonifera *Drej. Car.*

bor. p. 467. In Ferröis — et e Norvegia copiose misit Blytt formam humiliorem, spicis *ob pedunculos breves* erectis (*C. lineola C. A. Meyer!*) ♃. Jun. Vix nisi prioris varietas spicis atrofuscis, sed externa facies diversissima, potius *C. cryptocarpae.*

C. CRYPTOCARPA (C. A. Meyer! Cyp. nov. t. 14) *spicis exserte* pedunculatis, *femineis* distigmaticis oblongis cylindricisve *laxe pendulis, squamis ovatis mucrone brevi* serrulato *terminatis integrisve* obtegentibus *fructus obovatos subconvexos obsolete nervosos*, culmo acutangulo foliato, vaginis imis aphyllis subfibrillosis, radice caespitosa stoloniferaque. *Fr. Bot. Not.* 1843. *p.* 99. C. filipendula. *Drey. in Fl. Dan t* 2370, 2371. Haec in arcticis terris et quidem Islandia vulgatissima species, Scandinaviae adhuc dubia civis; teste d. *Dreyer* tamen in Herb. Schumacheri adest e Norvegia. Ob totam staturam, pedunculos spicarum feminearum elongatos capillares basi ocreatos etc. non potest non potius ad hanc, quam C. salinae stirpem referri, a ceteris quamvis valde distincta mucrone squamarum fuscopurpurearum l. atrofuscarum vel brevi serrulato, vel integro, interdum omnino deficiente. — *C. capillipes* Drey. Car. bor. p. 468 mihi videtur hujus forma gracilenta, cum *C. acuta personata* analoga.

3. C. SPICULOSA (Fr. Bot. Not. 1843 n. 99) *spicis exserte pedunculatis, femineis* distigmaticis cylindricis *gracilibus arrectis strictis*, squamis lanceolatis fuscis longe serrulato-aristatis superantibus fructus obovato-oblongos compressos obsolete nervosos, culmo acutangulo, *vaginis imis aphyllis fibrillosis*, foliis angustis, *radice caespitosa. Nyland. Spic.* 2. *p.* 21. In promontorio arido Kuusokotka ad pagum Keret Lapponiae Rossicae. ♃. Jun. Haec a praecedentibus valde diversa, ad *C. caespitosas* l. potius *C. Buxbaumii*, licet distigmatica sit, vergens. Vaginae infimae eximie fusco-nitentes, in hac fissae vere fibrillosae, in prioribus laceratae tenuissime flocculosae.

b. *Caespitosae* s. Stirps C. strictae. *Aphyllopodae, vaginis fissis fibrillosis.* Culmi virginei stricti, *foliis* angustis canaliculatis *siccitate margine revolutis*, bracteis culmo brevioribus diminutis. Spicae sessiles l. inferiores modo pedunculatae; pedunculi bracteolis dimidiatis basi aucti. Squamae deustae, nervo simplici, muticae. Vegetatio caespitosa.

4. C. STRICTA (Good. in Linn. Transact. II. p. 196) spicis arrectis, femineis distigmaticis subsessilibus elongato-cylindricis, *fructibus* stipitatis *ovatis acutis utrinque compressis nervosis arcte imbricatis* squamam muticam aequantibus superantibusve,

culmo acutangulo rigido subnudo; *vaginis eximie fibrillosis* basique aphyllis carinatis trigono-imbricatis, bracteisque abbreviatis strictis, radice caespitosa. *Koch. l. c.* Ad ripas Scandinaviae australis et mediae; at in boreali desideratur. Haec insignis species a Linnaeo *C. acutae rufae*, teste Linn. fil.!, sine dubio subsumta et hanc apud nos aemulatur statura elata et spicis masculis pluribus Vegetatio densissime caespitosa, numquam stolonifera. Culmi rigidi, fragiles, inferne modo foliis strictis angustatis abbreviatisque marcescentibus tecti, at folia fasciculorum sterilium sat lata apice flaccida. Fructus praecoces et facillime decidui:

— *humilis*, spiculis curtis ovalibus obesis, mascula solitaria clavata straminea. Locis udis graminosis.

5. C. CAESPITOSA (Linn. Spec. p. 1388. Fl. Suec. n. 833) *spicis confertis*, mascula subsolitaria!, femineis distigmaticis oblongis subsessilibus, bracteis angustissimis aphyllisque, *fructibus* subsessilibus *ellipticis obtusis utrinque convexis patentibus enervibus* squamam aequantibus superantibusque, *culmo* acutangulo *inferne vaginis teretibus tenuissime fibrillosis aphyllo*!, fructifero foliisque supra bicarinatis flaccidis, radice caespitosa. *Sv. Bot. t.* 222. et *Bot. Suec. omn. Fr. Mant. III p.* 156. *Bot. Not.* 1845 *p.* 116. C. pacifica. *Drey. Hafn. p.* 292. In pratis depressis Scandinaviae totius; in Suecia media omnium graminum copiosissima, e longinquo distincta caespitibus elevatis laete viridibus. ♃. Apr. Maj. *C. strictae* proxima, sed tenuior. Culmi abortivi, quales frequentes, stricti manent; vaginae duae superiores modo foliiferi, foliis haud marcescentibus; inferiori abbreviato. Folia, praecipue fasciculorum sterilium, sat lata, siccitate revoluta. Spicae in apice culmi sessiles. congestae; squama vaginante vulgo tantum bracteatae; vidi tamen in paludosis formam raram spicis pedunculatis, pendulis, cylindricis. Fructus prioris magis turgidi, indeque haud arcte imbricati, sed condensati, fere squarroso-patentes ut in *C. acuta*; normaliter persistentes; variant subnervosi, punctulati, pruinosi et subangulati, sed hi lusus atypici. — Locus et descriptio *Linnaeana* in Fl. Suec. omnia dubia circa syn. Linnaenum irrita reddunt! Minus bene d. Dreyer nomen mutavit; *sine ulla ratione* in C. Dreyeri Cel. *O. F. Lang.*

— *retorta*, spicis cylindricis laxis, fructibus oblongoacutis subcompressis deciduis squama cuspidata brevioribus, culmis elongatis laxissimis ad terram arcuato-deflexis, fasciculis e vaginis aphyllis imbricatis ferrugineis basi triquetris. In nemoribus paludosis. Spicis et fructibus ad *C. strictam* revergit; hi tamen enerves et culmi gracillimi tenues etiam florentes laxissimi; quo ab hac stirpe recedit.

6. C. TURFOSA (Fr. Bot. Not. 1843. p. 104. 1845. p 117.) spicis gracilibus distinctis, mascula subsolitaria, femineis distigmaticis gracilibus arrectis, bracteis foliaceis culmum subaequantibus, *fructibus* stipitatis *ovatis* acutis *adpressis laevibus*, *intus planis*, *extus convexis* squamam superantibus, *culmo* acutangulo rigido *inferne polyphyllo*, *foliis* strictis canaliculatis *late carinatis*, *vaginis parce fibrillosis*, radice caespitosa breveque stolonifera. In paludibus turfosis Sueciae saltim mediae passim copiose. ♃. Jun. Eximia species, praecedentibus cognata, at *C. vulgari* similior, vaginis (parce quidem, at non tenuiter ut in C. caespitosa) fibrilliferis, foliis angustis carinatis spicisque facile distincta Quando in caespites stipata nascitur, vaginae inferiores aphyllae adsunt; cum vero caespites soluti desunt, culmi tamen (curvuli) basi aphylli et fasciculus foliorum persistentium a radice remotus.

c. *Prolixae* s. Stirps *C. acutae*. *Culmi florentes* foliati, *nutantes*, vaginis (imis breve) foliiferis efibrillosis. Folia (basi haud congesta) et bracteae foliaceae, culmum superantes, latae planae, laxae, *siccitate revoluta*. Spicae masculae plures, femineae superiores subsessiles. Radix plus minus stolonifera.

7. C. PROLIXA (Fr. Mant. III. p. 150.) *spicis* masculis pluribus, *femineis* distigmaticis cylindricis subpedunculatis floriferis *pendulis*, *fructibus* stipitatis ovatis acutis *utrinque compressis arcte imbricatis elevato-nervosis*, culmo acutangulo foliato vaginis subintegris, *foliis bracteisque* latis planis margine deflexis *flaccidis*, radice caespitosa. *Bot. Not.* 1843. *p.* 101. 1845. *p.* 113. Ad ripas hinc inde obvia, rarior tamen ♃. Jun. Maxima affinium et squamis cuspidato-spiculosis atropurpureis elegantissima. Caespites in ambitu stolones breves quoque emituntur. *Vaginae* sitaneae efibrillosae, sed inferiores *hornotinae tenuiter fibrilliferae*. Quoad fructus ad C. acutam accedit exacte ut C. stricta ad C. caespitosam. *Variat* spiculis longe pedunculatis pendulis rarifloris, fructibus quaternato-verticillatis distinctis.

8. C ACUTA (Linn. Spec. 2. p. 1388), spicis masculis pluribus, femineis distigmaticis cylindricis *floriferis nutantibus*, infima subpedunculata, *fructibus* stipitatis ellipticis *inflatis utrinque convexis obsolete nervosis squarroso-patentibus* squamam acutam subaequantibus, culmo acutangulo foliato, vaginis efibrillosis, foliis bracteisque latis flaccidis, margine deflexis, radice stolonifera. *Koch. n.* 48. Ad ripas, in paludosis, ubique, sub plurimis formis (Cfr. Nov. Mant. III.), quarum sequens ceteris insignior:

— *personata* (Fr. Nov. p. 281) gracilis, laxa, spicis omnibus pedunculis elongatis gracillimis pendulis tenuissimis basi attenuatis rarifloris (floribus sparsis, nec ut in analoga prioris forma, *protensa*, quaternato-verticillatis). In paludosis nunc elatior, culmo laevi, nunc humilior culmo scabro. Squamae ferrugineae. *Fructus* in omnibus C. acutae formis maturi rufescentes vel fuliginosi.

9. C. TRICOSTATA (Fr. Mant. III. p. 152.) spicis distantibus, masculis pluribus, femineis distigmaticis sessilibus oblongis erectis, fructibus stipitatis ovato-ellipticis obtusis octofariam imbricatis, extus convexis *tricarinato-costatis*, squamam ovatam obtusam conspicue superantibus, culmo acutangulo *foliato stricto*, bracteis longissimis flaccidis, foliis siccitate revolutis, vaginis efibrillosis, radice stolonifera. Ad ripas Sueciae mediae et Finlandiae. ♃. Jun. Ex aetate variat, semper laete virens. Spicae fere *C. vulgaris*, herba *C. aquatilis*, sed folia inferiora brevissima et pauca. Fructus juniores subglobosi, valde ventricosi, obtusi, enerves, dein compressi extus convexi costati.

d. *Aquatiles* s. stirps *C. vulgaris*. Culmi basi denso foliorum fasciculo cincti (*polyphyllopodi!* except. n. 11), stricti. Folia concava l. rarius plana, *siccitate margine involuta*, vaginis omnibus efibrillosis. Bracteae foliaceae spicaeque arrectae. *Squamae fructus haud tegentes.* Spicae masculae vulgo plures, sed saepe variant solitariae.

10 C. AQUATILIS (Wahl. Lapp. p. 216 α) spicis subdistantibus arrectis, femineis distigmaticis breve pedunculatis clavato-cylindricis, bracteis foliaceis strictis, ima amplexicauli, fructibus subrotundis complanatis enervibus squama majoribus, *culmo obtusangulo laevi*, foliis siccitate involutis, vaginis omnibus foliiferis efibrillosis, radice stolonifera. In paludosis Scandinaviae borealis ubique copiose, dein in maritimis balticis usque ad Blekingiam. ♃. Majo, Jun. *A C. stricta*, a quibusdam confusa, diversissima (polyphyllo-poda c. s. p.); sed valde mutabilis a sesquipedali ad orgyalem altitudinem; foliis, vulgo perangustis, latioribus explanatis, fructibus, vulgo minutis, majoribus ovatis. Squamae vulgo abbreviatae, sed variant elongatae, tum vero semper fructu conspicue angustiores, interdum cuspidatae. — *C. anguillata* Drey. Car. boreal. est hujus varietas spicis confertis fastigiatis; an ad formas tenuiores sphagnophilas (Cfr. H. N. XI.) pertineat an n. 18 var. *C. borealis* Lang. in Reg. Bot. Zeit. 1843.

11. C. LIMULA, spicis erectis, mascula subsolitaria, femineis 2-3-stigmaticis oblongo-cylindricis, imis pedunculatis,

bracteis auriculatis foliaceis culmum superantibus, fructibus oblongis compressis obsolete nervosis squama oblonga atra uninervi longioribus, *culmo acutangulo foliato foliisque* planis strictis *margine asperrimis*, radice stolonifera. Ad ripas Lapponiae raro. Specimina pauca hactenus visa, hinc ulterius observanda. *C. aquatilis*, cui characteribus proxima, certe diversa culmo obtusangulo laevi, squamis fuscescentibus nervo lato viridi fere triplinervibus, fructu subrotundo. Habitus potius *C. acutae* at gracilior, strictior, asperior, fructuque compresso recedit. Pro *C. acuta ripensi* Laestad. accepi, haec vero plures v. c. C. hyperboream complecti videtur.

12. C. VULGARIS (Fries — Cfr. Nov. Mant. III p. 153) spicis arrectis, femineis distigmaticis approximatis cylindricis subsessilibus bracteisque foliaceis auriculatis, *fructibus ellipticis nervosis*, *intus planis*, *extus gibbis* squamam obtusam muticam superantibus, *culmo acutangulo* basi foliato, vaginis omnibus foliiferis efibrillosis, foliis ecarinatis siccitate involutis, radice stolonifera caespitosaque. Gram. Cyp. vulgatiss. *Raji hist. p.* 1293 *n. 3.* C. vulgaris nigra. *Linn. Lapp. n.* 330. C. acuta *β.* vulgaris *Linn. Suec. n.* 857 et Bot. Suec. *Leers Herb. t.* 16. *f.* 1. C. caespitosa *Bot. Exter.* at vix Goodenoughii. Locis humidis omnium Caricum ubique vulgatissima. ♃. Mira sane hujus cum *C. caespitosa* L. confusio, a qua singulis partibus diversissima et antiquitus in Suecia distincta, sed C. acutae, l. potius C. aquatili utique proxima, infinite varia. *Cfr. l. c.* Accedit saepe spica feminea remota pedunculata; masculae apud nos saepissime plures, solitaria in *C. caespitosa.*

— *tornata*, crassa, rigida, foliis latis planis, spicis spissis.

*JUNCELLA, elongata, gracilis, foliis convolutis filiformibus, spicis subdistantibus gracilioribus. Haec praecipue in paludosis turfosis valde caespitosa fit ut C. stricta et C. caespitosa.

c. Stirps *C. salinae.* Culmi stricti, basi foliati, vaginis efibrillosis omnibus foliiferis (rarissime infima squamacea aphylla). Folia et bracteae evaginantes erectae, culmum subsuperantes. *Spicae erectae*; masculae plures l. unica. *Squamae fuscae, triplinerves*, in cuspidem integerrimam productae vel muticae in formis macrioribus. *Fructus* obovati, obtusi, *squama obtecti l. obvoluti.* Ad littora maris septentrionalis, Germaniam haud attingentes, inter Aquatiles et Rigidas intermediae, sed Spiculosis formis cuspidatis (v. c. C. cryptocarpa) valde affines. Singula species duplicem offert formam, habitu diversam.

13. C. HALOPHILA (Nyl. Spic. p. 21) *spicis* erectis, masculis pluribus, femineis distigmaticis *cylindrico-clavatis* distan-

tibus, *fructibus obovatis compressis enervibus* squama ovato-lanceolata triplinervi submucronata obtectis obvolutisque, *culmo obtusangulo* laevi, vaginis omnibus foliiferis efibrillosis, foliis bracteisque planis siccitate margine deflexis, radice stolonifera. Ad littora maris septentrionalis. ♃. Jun. Ambigit inter C. aquatilem et salinam — et primitiva *C. salina* Wahlnb. ad hanc speciem pertinere videtur. Folia ima emarcida, ut in C. aquatili.

14. C. SALINA (Wahlnb. p. p. — Bot. Not. 1843. p. 106.) spicis arrectis, mascula subsolitaria, *femineis* distigmaticis *oblongis turgidis* distantibus *pedunculatis*, *fructibus* obovato-subrotundis *compressis nervosis* squama oblonga triplinervi cuspidata muticave obtectis, *culmo acutangulo scabro* inferne foliato, foliis planis, vaginis efibrillosis, radice stolonifera. Ad littora maris occidentalis a Finmarkia ad Hallandiae fines; var. cuspidata quoque ad Uleåborg, sinus bottnici. ♃. Jun. *C salina* Auctt. est titulus valde anceps. Sub duabus, forsan distinguendis, occurrit formis:

— *cuspidata*, firmior, foliis latis planis, vagina infima subaphylla, spicis exserte pedunculatis, squamis in cuspidem longam integerrimam attenuatis. *Sv. Bot. t.* 756. C. cuspidata. *Wahlnb. F. A. H. Willd.*

— *mutica*, angustior, spicis minoribus, squamis obtusis muticis mucronatisve. Haec praecipue ad litora occidentalia, nec in *cuspidatam* abire adhuc observata est.

15. C. SUBSPATHACEA (Fl. Dan. t. 1530.) spicis arrectis, mascula solitaria, femineis di-tri-stigmaticis distantibus densis, *bracteis basi dilatatis spathaceis nervosis*, *fructibus* ellipticis *utrinque convexis enervibus squamam* convexam muticam mucronatamve, basi amplectentem, *excedentibus*, *culmo obtusangulo* laevi foliato, vaginis omnibus foliiferis efibrillosis, foliis angustis siccitate involutis, radice stolonifera. *Nov. Mant. III. p.* 148. Ad littora maris glacialis frequenter. Praecedentibus longe minor et tenuior, etiam duplici occurrit forma:

— *planifolia*, foliis planis, spicis elongatis subpedunculatis. *Drey. l. c. p.* 432. *Kunz Car. t.* 24.

— *nardifolia*, foliis convoluto-filiformibus, spicis abbreviatis sessilibus. C. aquatilis nardifolia *Whlnb.* genuina, sed pro hac vulgo sumitur C. vulgaris juncella. C. Hoppneri. *Hook. Fl. Am. bor. t.* 220

Quamvis antecedentes tres species habitu valde differant, eandem stirpem tamen certe sistunt. Ob formarum copiam plures latere species facile fingeres, sed tres modo hactenus distinguere licuit typos manifeste diversos, praecedentibus re-

spondentes, nempe *C. halophila* C. aquatili, *C. salina* C. limulae, *C. subspathacea* C. vulgari, at praeter alias notas squamis fuscis nervo lato viridi (triplinervi) variegatis mox distinctos. Inter *C. vulgarem* vero et *C. subspathaceam* prorsus ambigit:

*C. REDUCTA, (Dey. l. c. p. 454) spicis erectis, mascula solitaria, femineis distigmaticis oblongis subsessilibus, bracteis foliaceis nervosis subspathaceis, fructibus obovatis plano-convexis enervibus margine asperulis squamis atris uninervibus basi obvolutis, culmo subobtusangulo, foliis planis, vaginis omnibus foliiferis efibrillosis, radice stolonifera. *Nyland. Spic.* 2 *p.* 25. inter C. subspathaceam ad mare glaciale. ♃. Minima affinium, forsan mutila forma. Habitus C. vulgaris propter squamas nigricantes, nervo simplici, sed plurimis notis ad C. subspathaceam ne dicam C. elytroidem, cujus forma reducta? accedit. H. l. *C. spathaceae* spec. dextrum in H. N.

f. Stirps *C. rigidae*, Culmi rigidi, saepius curvuli! subaphylli, *basi dense foliati*, vaginis omnibus foliiferis efibrillosis (in C. rigida inferalpina squama infima vaginalis aphylla). *Folia plana*, *margine*, siccitate saltim, *deflexa*, numquam involuta. Bracteae, inferiores foliaceae, spicaeque confertae erectae. *Squamae* nigricantes, *nervo simplici tenui haud excurrente fructum obtegentes*. Alpinae et boreales.

16. C. ELYTROIDES (Fr. Bot. Not. 1843. p. 106) *spicis* confertis erectis, mascula solitaria, femineis distigmaticis *clavatis* densis subpedunculatis, *bracteis subspathaceis* latis planis, *fructibus* obovatis *compressis enervibus punctulatis*, *margine asperulis*, squama lanceolata atra obtusa mucronatave obtectis, culmo acutangulo laevi basi foliato, vaginis omnibus foliiferis efibrillosis, *foliis latis planis*, radice stolonifera. C. saxatilis? flaccaeformis *Laestad.* ejusque sensu C. flacca *Zetterst. Res.* Ad ripas arenosas Lapponiae; Upsaliae ad Ulva rarissima, inque maritimis Hallandiae. Species pulchella, a *C. vulgari*, in cujus societate saepe nascitur, certe distincta. Culmi sub anthesi curvuli, folia lata siccitate margine deflexa et spicae affinitatem C. *saxatilis* indicant. Folia, ut sequentis, flaccida.

17. C HYPERBOREA (Drey.! Car. l. c. p. 461) *spicis* subconfertis erectis, mascula solitaria, femineis distigmaticis *cylindricis rarifloris*, imis subpedunculatis breviter et anguste foliaceo-bracteatis, *fructibus obovato-ellipticis compressis obsolete nervosis* squama ovato-lanceolata atrofusca uninervi obtectis, culmo acutangulo laevi basi foliato, vaginis omnibus foliiferis efibrillosis, *foliis erectis* planis *ecarinatis* siccitate margine re-

volutis, radice stolonifera. *Bot. Not.* 1843. *p.* 103. Ad ripas Lapponiae Tornensis (*Laestadius*), Rossicae. *Nyl. Spic.* 2. *p.* 24. Pedalis, foliis longis angustis erectis. — Adest simul varietas fructibus longioribus, acutioribus, squama paulo longioribus, foliis margine revolutis a *C vulgari* distincta.

18 C. RIGIDA (Good. Transact. Linn. Soc. II. p. 193) spicis confertis erectis, mascula subsolitaria, femineis distigmaticis ovalibus densis subsessilibus, *fructibus oblongis subcarinato-triquetris enervibus* squamam oblongam obtusam nigram aequantibus obtectisve, culmo rigido acutangulo basi foliato, vaginis foliatis efibrillosis, *foliis* latis planis *rigidis carinatis, margine deflexis*, radice stolonifera. *Nov. Mant. III. p.* 147. Vulgatissima in alpibus et subalpinis sub triplici forma:

— *inferalpina* Laest., pedalis et ultra, foliis bracteisque omnibus foliaceis latis erectis, spicis femineis pedunculatis elongatis basi attenuatis, superioribus apice saepe masculis. In paludosis inferalpinis, valde insignis.

— *saxatilis*, media, foliis excurvis, bracteis foliaceis, spicis femineis oblongis remotiusculis sessilibus, infima pedunculata. C. saxatilis. *Vulgo* non L.

— *glacialis*, pumila, foliis patentibus, bracteis auriculaeformibus cum cuspide, spicis approximatis globosis sessilibus. Supra saxa in summis alpium jugis.

Omnes praecedentes species admodum variant, at non sine certa lege, ut perito typos primarios facile licet distinguere. E fructus rostello (omnibus brevissimo) et ore (subintegro) e. s. p. vix ulli characteres essentiales sumi possunt, quare haec in definitionibus jam prolixis omisi, ut etiam bractearum auriculas, licet hae in speciebus variis varie evolutae sint et subinde inferiores vaginantes.

g. Stirps *C. bicoloris*, vaginis omnibus foliiferis efibrillosis, *bracteis foliaceis* elongatis imis saltim *vaginantibus, spicis* omnibus femineis, *terminali androgyna*, normaliter basi mascula, sed *C. epigejos* spica terminali apice mascula h. l. etiam recepi, cum inter C. Aquatiles et Rigidas omnino ambigua sit.

19. C. EPIGEJOS (Fr. Bot. Not. 1843. p. 103) spica terminali subandrogyna apice mascula, lateralibus femineis distigmaticis superioribus confertis sessilibus, inferioribus subpedunculatis bractea foliacea subvaginante, fructibus ovalibus compressis enervibus squamam oblongam obtusam superantibus, culmo acutangulo basi foliato, vaginis omnibus foliiferis efibrillosis, foliis planis apice triquetris, radice stolonifera. *Nyland. Spic. p.* 105. C. aquatilis var. *Laestad. Vet. Ac Handl.* 1822. *p.* 339. Locis siccioribus subalpinis Norvegiae (Dovre), Lapponiae Lulensis copiose (*Laestadius*) et Rossicae (*Nylander*). ♃.

Jul. "In vivo comparata C. aquatilis eximie differt" Nylander. Culmi pedales, superne scabri, basi multis vaginis emarcidis ferrugineis circumvallati. Folia angusta, erecta. Bracteae inferiores modo vaginantes culmum aequantes, superiores auriculis discretis.

Obs. Cum de *vaginis omnibus foliiferis* loquor tantum respicio culmos floriferos, stolones enim basi vaginis aphyllis semper instructi. In vegetioribus individuis *C. salinae*, *C. saxatilis*) talis squama ad basin culmi florentis persistit, phyllopoda tamen sunt.

20. C. RUFINA (Drey.! l. c. p. 446) spicis confertis, terminali androgyna, lateralibus femineis distigmaticis oblongis, inferioribus pedunculatis foliaceo-bracteatis, fructibus obovato-ellipticis stipitatis utrinque convexis obsolete trinervibus brevissime rostratis, margine asperulis, squamam obovato-oblongam aequantibus, culmo obtusangulo, foliis angustis planis culmum superantibus, *radice caespitosa* stolonifera. *Kunz. Car. t. 23. f. 1. Anders. Veg. Lapp. ined.* In Lapponia Lulensi, locis turfosis, ex Cl. *Anderson* — *J. Vahl* mihi dedit. ♃. Digitalis modo, laxa, subdecumbens, dense caespitosa, praecedenti tamen maxime affinis (ut *C. reducta* C. elytroidi) illamque cum *C. bicolori* omnino jungens, spica terminalis enim nunc basi nunc apice vel utrinque mascula (subinde tota); in utraque adest fasciculus emarcidorum foliorum ad basin at ob vegetationem dense caespitosam infimae vaginae in hac subaphyllae. Singulare porro *C. epigejos*, *C. rufinam* et *C. bicolorem* in eadem Lapponiae regione, locis vero diversis, esse detectas.

50 (21). C. BICOLOR. Cfr. Koch. p. 873. Fl. Dan. t. 2122. Spica terminali basi constanter mascula, e fructibus subtrigonis prorsus erostratis eburneis squamas superantibus eleganter bicolori, a praecedentibus mox distinguitur. Specimina hujus lapponica macilenta neutiquam discernere valeo a *C. ursina* Dewey, Hook. Am. bor. 210 (Cfr. Bot. Not. 1843 p. 107), eandemque observationem de americana protulit nuper Cel. Tuckermann.

§. 2. Heterostachyae, tristigmaticae. Koch. p. 874.

57 b. C. STYGIA (Fr. Nov. Mant. III. p. 141) spica mascula solitaria erecta, *femineis* tristigmaticis 2-3 *oblongis compactis* longe pedunculatis pendulis, bracteis brevissime vaginantibus subaphyllis, *fructibus globoso-ovatis marginato-ancipitibus* turgidis nervosis obtusis, rostello tereti apiculatis, *squamis late ovatis convexis obtusis mucronatis obvolutis*, *culmo acutangulo*, foliis linearibus planis. In paludosis Finmarkiae; etiam

e Rossia arctica copiosa adest in Musaeo Petrop. ex Nylander in litt ♃. Sesquipedalis. Pro var. C. *limosae* sumta, fructu squamisque (piceis) conspicue diversa.

57 c. C. RARIFLORA (Smith Engl. Bot. t. 2515) spica mascula solitaria, *femineis* tristigmaticis 2-3 *linearibus rarifloris* pendulis, bracteis brevissime vaginantibus subulatis, *fructibus* ovalibus *subtrigonis* nervosis obtusis rostello tereti brevissimo apiculatis, *squamis late ovatis convexis obtusis obvolutis*, *culmo obtusangulo*, foliis linearibus planis. C. limosa rariflora. *Wahlnb. Lapp. p.* 242 Locis uliginosis praecipue maritimis Nordlandiae et Finmarkiae frequens, sed etiam in alpibus Norvegiae passim, Sueciae borealis et Lapponiae rarius. ♃. Jun. Jul Praecedentis quasi forma reducta, vix spithamam alta, nulli tamen adsunt transitus et facie mox distincta. Squamae in utraque conformes, piceae.

60 b. C. GLOBULARIS (Linn. Sp. p. 1385) spica mascula solitaria, femineis tristigmaticis sessilibus ovatis distantibus, bracteis foliaceis amplectentibus erectis, fructibus ovatis subtrigonis acutis tomentosis, ore prominulo integro, squama obtusa longioribus, culmo filiformi acutangulo scabro foliisque angustissimis flaccidis, radice caespitosa. *Wahlnb. Lapp. p.* 240. *Schkuhr f* 188. C. tomentosa. *Fl. Dan. t.* 1404. Solo macro turfoso subhumido Scandinaviae borealis totius vulgaris; in media locis montosis hinc inde usque ad Christianiam Norvegiae, Smolandiam borealem (Skareda-Moen in par Lommaryd. *Lindeberg*) Gothiae. ♃ Majo, Jun. *C. montanae* proxima, vaginis purpurascentibus, foliis mollibus c. s. p. sed valde extenuata, pedalis et ultra, spicae griseo-fuscescentes.

66 b. C. PEDIFORMIS (C. A. Meyer Cyp. Nov. 25 t. 10) spica mascula solitaria, femineis tristigmaticis subternis linearibus subapproximatis, bracteis vaginantibus aphyllis cuspidatis, fructibus trigono-obovatis pubescentibus brevissime rostratis glumam acutam mucronatam aequantibus, culmo flaccido scabro basi foliato, foliis rigidulis, radice valida repente. *Nov. Mant. II. p.* 57. Locis rupestribus umbrosis Norvegiae ad Christianiam, Ringboe; in Tavastiae Fenniae (*Nyl. Spic.* 2 *p.* 28). Proxima *C. digitatae*, praeter notas datas diversa vaginis viridifuscis (nec purpurascentibus), spicis scalaribus pallidioribus.

73 C SPARSIFLORA (Bot. Suec. Steud. Nomencl. p. 296.) spica mascula solitaria stricta, femineis distigmaticis binis remotis exserte pedunculatis laxifloris, bracteis vaginantibus spicula brevioribus, fructibus oblongis subancipitibus nervosis utrinque attenuatis, sursum in rostrum distinctum demum obli-

quum ore truncato, culmo stricto basi foliato, foliis linearibus viridibus glabris, radice stolonifera. *Nov. Mant. III. p.* 138. C. panicea v. sparsiflora. *Wahl. Lapp. p.* 236. *Laestad. N. Act. Ups. XI. p.* 284. C. curvirostra. *Hartm. Sc.* 3. In pratis humidis nemorosis Scandinaviae hinc inde; in Scania et Dania modo nondum lecta. C. panicea elatior, laetior, foliis pure et vulgo capsulis, minus inflatis, viridibus facile distincta. Huic simillima est, in alpibus nostris quoque frequens, *C. vaginata*: spicula mascula sub anthesi refracta, fructibus ovatis subtrigonis brevius rostratis, foliisque latioribus quidem recedens, sed ceterum ita simillima, ut potius varietas alpina, quam species peculiaris.

73. b. C. LIVIDA (Willd. Spec. IV. p. 285) spica mascula solitaria stricta, femineis tristigmaticis lineari-oblongis rarifloris confertis pedunculatis erectis, bracteis vaginantibus convolute foliatis, fructibus oblongis convexo-planis obtusis ore integerrimo apiculatis squamam aequantibus, culmo obtusangulo laevi, foliis strictis glaucis glabris, radice stolonifera. *Wahlnb. Lapp. p.* 236. *Schkuhr f.* 211. In paludibus fluctuantibus Scandinaviae borealis copiose, mediae passim usque ad Smolandiam ♃. Foliis radicalibus fasciculatis, erectis, glaucis, culmum pedalem saepe aequantibus, spicis paucifloris insignis.

73. c. C. LAXA (Whlnb. Lapp. p. 237. t. 15. f. 1) spica mascula solitaria, femineis tristigmaticis oblongis subdensifloris remotis exserte pedunculatis pendulis, bracteis longe vaginantibus foliatis, capsulis oblongis utrinque attenuatis convexo-depressis glabris squamam ovatam aequantibus, culmo acutangulo laevi, radice stolonifera. *Sv. Bot. t.* 718. Locis turfosis subinundatis in Lapponia Tornensi ad Enontekis s. Karesuando hactenus tantum lecta. Vulgo gracillima, flaccida, flavescens, sed occurrit etiam obesior firmula *C. limosae* prorsus similis, non nisi vagina bractearum elongata distincta. Valde invita natura sectione a *C. limosa* movetur.

78. C. PALLESCENS. Ad hanc referatur *C. undulata* Kunz. Car. t. 4. passim per Scandinaviam obvia v. c. in *Billingen* Westrogothiae. — *C. capillaris* L. per omnes planities Scandinaviae usque ad Scaniam vulgaris est.

81. a. C. PEDATA (Wahlnb. Lapp. p. 239. t. 14) spica mascula solitaria, femineis tristigmaticis confertis linearibus pauci et sparsifloris subpedunculatis erectis, bracteis amplectentibus setaceo-cuspidatis, fructibus subglobosis glabris in rostrum subteretem attenuatis, ore bidentato, squamam ovato-subrotundam superantibus, culmo obtusangulo foliisque angustissimis rigidis,

radice caespitosa. ♃. Locis aridis sterilibus in alpibus Lapponiae et Finmarkiae, etiam in Norvegia et Suecia boreali (Herjeådalia); frequentior videtur, quam creditur. ♃. Species distinctissima, vix alii affinis; facie emarcida, statura pumila et vegetatione caespitosa *C. nardinam* referens, ut *C. supina* C. obtusatam. *C. pedata* Linn. est obscura planta; nomen et synonyma ad C. *ornithopodam* spectant, descriptio vero ad *C. globularem*.

101. C. LAEVIROSTRIS (Blytt et Fries.) spicis masculis pluribus, femineis distigmaticis cylindricis erectis, inferioribus pedunculatis, bracteis evaginatis foliaceis latis culmum superantibus, *fructibus globoso-inflatis nervosis squarroso-patulis rostro elongato glabro bicuspidato, squamas obtegentibus, culmo* superne *acutangulo* scabro. C. bullata laevirostris. *Nov. Mant. II. p.* 59. C. ampullacea robusta. *Weinm. Fl. Petr.* ex *Nyl. Spic* 2. *p.* 16. C. robusta.! C. rhyncophysa. *C. A. Meijer Ind. Petrop.* 1844. *p.* 9. Ad ripas limosas, prope Christianiam ante plura lustra ab acutiss. *Blyttio* primo detecta et pro nova specie agnita; dein ad fluvium Lulensem tam Lapponiae quam Vestrobottniae lecta a Cell. *Wahlberg* et *Anderson*, in Finlandia orientali ex Nylander frequens, ut in aliis arcticis regionibus. ♃ Jul. Maxime spectabilis. *C. vesicariae* et *ampullaceae* proxima, utraque major, foliis latissimis planis reticulato-venosis, spicis fructibusque maxime turgidis et distentis. — Sub *C. bullata* Schk. a Botanicis Americ. complectitur, verum genuina distincta videtur foliis angustioribus, fructibus minus inflatis, rostro hispido.

Jam ante multos annos a Cel. *Blytt* et me pro nova specie agnita et distributa, sed, *C. bullata* ipsa collectiva, ut hujus subspeciem in Nov. Mant. 2. proponere debuimus. Distinctionem vero suadentibus Cell. viris, *Wahlbergio*, *Kunzeo* etc. jam ante plures annos et in Bot. Not. 1843, 1844 *C. laevirostem* ut peculiarem speciem agnovimus. Interea nomen Weinmannianum forte antiquius, ut an potius cum Cel. Nylandro *C. robustam* dicerem dubitaverim. *C. ampullacea robustior* Weinm. tamen sine omni differentia proposita est; nostrum nomen insuper speciminibus in H. N. distributis jam ubique cognitum.

102. b. C. ROTUNDATA (Wahl. Lapp. p. 235) spicis erectis distantibus, mascula subsolitaria, femineis tristigmaticis subsessilibus ellipticis, bracteis foliaceis breviter vaginantibus, *fructibus subglobosis inflatis* rostellatis, ore bicuspidato, squamam ovatam superante, *caule tereliusculo laevi, foliis involuto-filiformibus*, vaginis efibrillosis. *Sv. Bot. t.* 155. Locis paludosis in Scand. boreali subsilvatica et alpina copiose. Cum spicae et capsulae hujus interdum pallescunt, *C. ampullaceae* vero sub-

inde infuscantur, in hanc transire videtur, attamen etiam mixtae nascentes conspicue differunt.

103. C. VESICARIA. Vaginae eximie fibrillosae:

— *alpigena* (Fr. Nov. Mant. II p. 142) spica mascula solitaria, femineis subpedunculatis fusco-nigricantibus, squamis latis ovalibus. C membranacea *Boott. in Hook. Bor. Am. p.* 220. In regionibus alpinis haud raro. Simillima sq, sed formis intermediis in *C. vesicariam* omnino abit.

104. C. SAXATILIS (Linn. Suec. n. 848) spicis distantibus erectis, mascula subsolitaria, *femineis* 2-3 *stigmaticis* ovalibus, imis pedunculatis, bracteis foliaceis semiamplexicaulibus auriculatis, *fructibus ovatis* inflatis subnervosis patentibus rostellatis, ore bidentato, squamas aequantibus superantibusve, *culmo acutangulo scabro, foliis planis*, vaginis obsolete fibrillosis. C. pulla *Good. Whlnb. Lapp. p.* 248. C. fusca. *Schkuhr t. Cc f.* 88. C. rotundata. *Fl. Dan. t.* 1407 (tristigmatica). Locis irriguis ad latera alpium totius facile regionis. Vulgo distigmatica, sed variat stigmatibus tribus, ex ore bicuspidato hujus gregis et C. vesicariae nimis affinis. — Nomen Linnaeanum certum, sed incongruum ut etiam C. pullae, quia fructus typice pallescunt et virescunt (Cfr. H. N. XI.), licet omnium facile specierum spicae in alpibus infuscentur. Potius igitur *C. dichroa* dicenda.

GRAMINEAE. Koch. p. 888. Supra p. 74.

X. HIEROCHLOA. Memorabilis arctica species:

1 a. H. ALPINA (Swartz in Schrad. Journ. sub Holco) panicula coarctata, pedicellis glabris, flore hermaphrodito mutico, masculo superiori e medio aristam geniculatam exserente, foliis convoluto-filiformibus. *Wahlnb. Lapp. p.* 31. *Sv. Bot. t.* 438. *Fl. Dan. t.* 1508. **Locis siccis sterilibus ad alpes Lapponiae Tornensis et Finmarkiae. Radix subrepens, caespititia. Panicula simplicior, spiculae majores quam in reliquis.**

XXII. AGROSTIS. **Inter sectiones a et b ambigua:**

2 b. A. RUBRA (Linn. Suec. n. 64. Wahl. Lapp. n. 46 optime) panicula pyramidali, sub anthesi fructiferaque patente, ramis ramulisque horizontalibus strictis hispidulis, valvula unica infra medium aristata, foliis planis, radicalibus angustissimis, ligula oblonga. *Linn. Lapp. n.* 46. *Fr. Mant. II. p.* 3. *Sv. Bot. t.* 668. *Cfr. Koch. syn. p.* 903. A. borealis. *Hartm.* **Ad ripas lacuum locisque humidis Scandinaviae borealis, in provincias occidentales dispersa. ♃. Jul Aug. In vivo facie pro-**

pria facile distinguitur, sed specimina sicca *A. vulgarem* referunt', quare fundatores (Linne et Wahlenberg) demum cum hac conjunxerunt.

XXIII. b BLYTTIA (Fr. Mant. II. p. 2). Panicula verticillata. Gluma bivalvis, 1-flora, carinato-compressa, florem aequans. Valvae acutae, subaequales. Glumella bipaleacea, herbacea, basi nodo nudo suffulta; palea inferiori apice fissa et in fissura aristata. Stigmata filiformia, glumellam superantia. *Gramen speciosum, arundinaceum, suaveolens.*

1. B. SUAVEOLENS (Fr. l. c. et M. III. p. 171. Agrostis suaveolens *Blytt.*) In saltubus nemorosis ad Herrisjö-elv prope Stulsbroen Guldbrandsdaliae Norvegiae, a Blyttio detecta; in Österdalia ad Åmodt prope Björnstad — et hoc anno multis locis Norvegiae occidentalis inventa. Odor *Milii odorati.* — Cinnae valde affine genus, estque nostrum gramen *C. expansa* Link Hort. Ber. p. 236, Mühlenbergia pendula *Bong. Veg. Siktk. p.* 54.

XXV. CALAMAGROSTIS. Hoc genus et specierum numero et praecipue individuorum copia versus septentrionem accrescit, longeque insigniorem partem vegetationis gramineae apud nos praebet (v. c. *C. neglecta* fere ubique vulgaris) quam in australioribus terris. Multa in hoc genere observanda restant, cum formae in natura distinctissimae notas parum palpabiles offerant; vulgo autem, etiam ad sectiones discernendas, citatae (v. c. situs aristae, rudimentum secundi floris) passim accidentales. Ob varietates muticas v. c. *C. lanceolata* et *C. Halleriana* ex aristae insertione discerni nequeunt; in *C. epigejo etc.* aristae insertio aperte varia. Nec magni momenti censeo species, quas peritus non primo obtutu discernere valet sine subtilissimi cujusdam characteris adminiculo. Sine naturali dispositione omnis definitio fallit. Si quid video, nova a nobis supra data saltim habitualis est, cum tota vegetatione, statione e. s. p. congrua. Characteres magni momenti censeo biologicas v. c. culmum demum ramificantem, paniculam post anthesin laxam vel contractam, spiculas defloratas squarrosas vel clausas e. s. p.

a. *Helophilae.* Cfr. supra.

1 a. C. PHRAGMITOIDES (Hartm. Scand. 4. p. 25) panicula diffusa nutante, *deflorata laxa*, valvis anguste lanceolatis acuminatis; fructiferis apertis, pilis glumam aequantibus, *arista* recta *glumellam apice bifidam superante scabra*, culmo ramificante, foliis planis flaccidis asperulis. C. laxa. Host? Ad ripas Lapponiae copiose, inque provinciis adjacentibus Sueciae

borealis et Norvegiae subalpinae. ♃. Jul. Aug. Speciosa, spiculis majusculis fusco-purpureo et viridi variegatis, sequentibus tamen valde affinis. Arista nunc ex incisura, nunc in dorso egrediens. — *C. littorea* valvis lineari-subulatis diversa est.
Quaenam sequentium vera sit Hostii . *ramosa* planta nescimus, hinc pro tempore utramque sub proprio nomine proponam:

1. C. LANCEOLATA. (Arundo carnesc. Web. Holsat.) panicula diffusa nutante, *deflorata laxa*, *valvis* lanceolatis acuminatis, *fructiferis patentibus*, pilis valvas aequantibus, arista recta brevissima laevi glumellam apice emarginatam vix aequante, culmo ramificante foliisque planis linearibus (secus nervos pilosis vulgo) flaccidis. Haec nobis vulgatissima, vera *Arundo Calamagrostis* Linn.! et Cal. lanceolata *Suecor.* Gramen elatius, sed molle, flaccidum, diffusum, panicula subtestacea, vel in umbrosis albida; adultiori e lana copiosa semper canescente.

2. b. C. (Or.) RIGENS, panicula aequaliter effusa patente, *deflorata stricta*, valvis anguste lanceolatis acuminatis fructiferis subapertis, pilis paleam superantibus, arista subapicali recta scabra glumellam vix superante, culmo ramificante foliisque latis planis secus nervos asperulis strictis. C. lanceolatae affin. *Lindgr. in Bot. Not. 1843. p. 4.* In paludosis ad Wänern; in Westrogothia primus distinxit Lindgren. Habitu magis ad C. epigejos accedit rigiditate, foliis conspicue latioribus, panicula spadicea vel in umbrosis viridi. Illa differt *panicula glomerata*, *deflorata contracta*, *spiculis secundis* etc.

3. C. EPIGEJOS. Aristae insertio ut in praecedd. varia, nunc ex apice, nunc infra apicem. Multae valde notabiles formae v. c. *glauca* (Nov. Mant. III) praecedenti affinis; squarrosa, panicula primo spiciformi, dein valde squarrosa; *paralias*, vaginis villosis, *C. balticam* refert, verum nullo modo eaedem affinis. — *C. baltica* crescendi modo, segetis instar per latas plagas stipata, valde et a *C. epigejo* et *C. arenaria* differt.

4. C. HALLERIANA. Ob aristae insertionem in praeced. neutiquam constanter terminalem, illarum formae cum hac confundi videntur. Nobis adest duplex; ab eisdem clare diversa. Panicula *stricta*, haud contracta, valvae apertae.

5 b. C. STRIGOSA (Wahl. Lapp. p. 29. t. 2 Arundo) panicula erecta stricta scaberrima, *deflorata contracta*, *valvis anguste lanceolatis acuminatis*, *fructiferis clausis*, pilis glumella brevioribus, arista prope basin egrediente recta paleam aequan-

te, culmo demum ramificante, foliis planis. Ad ostia fluviorum Finmarkiae. ♃. *Jul. Aug.* Panicula sat rariflora, coerulescens. Sequenti affinis, sed serie contigua cum prioribus juncta.

6. C. STRICTA. Praetuli *C. neglectae* nomen, non quia antiquius, sed propter *varietatem* culmis geniculatis, basi decumbentibus. — A priori differt panicula angustata, valvis latioribus haud acuminatis, pilis conspicue brevioribus, foliis stolonum filiformibus.

b. *Nemophilae* Cfr. supra.

6. b. C. LAPPONICA (Wahl. Lapp. p. 27. t. 1. Arund.) *panicula angustata stricta conglomerataque*, deflorata contracta, valvis lanceolatis mucronato-apiculatis, fructiferis clausis glumella longioribus, pilis glumellam aequantibus, arista dorsali geniculata paleam aequante, culmo simplici stricto, foliis stolonum filiformibus. *Hartm. Scand. Sv. Bot. t.* 649. In campis et collibus sterilibus Lapponiae copiose; provinciarumque adjacentium raro. ♃. Aug. Panicula elongata, angustata, e coeruleo purpurascens.

6 c. C. CHALYBAEA (Fr. Sched. Hartm. Sc. 4. p. 26) *panicula aequaliter effusa* erecta *patente*, ramis inferioribus longioribus, *valvis ovato-lanceolatis* acutis, fructiferis conniventibus *glumellae longitudine*, pilis glumella brevioribus, arista prope basi inserta inclusa geniculata, culmo simplici, foliis planis. C. montana. *Nov Mant. I. p.* 7. C. lapponica *β. Laestad.* C. silvatica *β. Whlnb.* In silvis nemorosis Norvegiae! et Sueciae borealis v. c. in Angermannia pl. locis ♃. Jul. Panicula quam in reliquis magis patula, spiculae breviores et latiores virescentes, margine violaceo-fusco variegatae.

7 C. MONTANA. C. acutiflora Gottlandica non differt, sed est C. montana ipsa, at veram C. ACUTIFLORAM Schrad. prope Christianiam Norvegiae detexit Blytt., et haec adeo conspicua ut quamdiu C. littorea distinguitur, etiam haec distincta videtur admittenda, nam utraque *valvis linearisubulatis* potissimum recedit. Accedit in *C. acutiflora* panicula conglomerata. Statura duplo robustior.

7 b. C. HARTMANNIANA (H. N. X.) panicula patente stricta laevi, deflorata coarctata, valvis anguste lanceolatis acuminatis fructiferis conniventibus, pilis paucis glumella brevioribus, arista infra medium egrediente *subrecta* brevi inclusa, foliis culmoque simplicissimo strictis scabris. C. strigosa *Hartm. Sc.* 3. C. Halleriana *β. ed.* 4. Locis silvaticis humidiusculis Suder-

manniae ad Thorsberga par. Stenquista, Forsa par. Wingåker ♃. Jun. Jul. Dubia, *C. silvaticae* proximam censet Cel. Indebetou, cui debeo; arista simillima variat *C. lapponica* Cfr. Nyl. Spic. 2. Panicula purpurascenti-argentea.

XXXIX. AIRA. Accedunt duae species arcticae:

2 b. A. BOTTNICA (Wahlnb. Lapp. p. 36. t. 4) foliis filiformi-involutis, *panicula angustata stricta*, pedicellis laeviusculis, arista subulata paleam longe superante, radice fibrosa. Cfr. Koch sub Aira caesp. Ad littora maris bottnici copiose et in taeniis baltici usque ad Holmiam passim; inque insula per euphemismum Jungfrun (Blåkulla) dicta prope Ölandiam. ♃. Jun. Jul. Panicula elongata et spiculis majoribus e longinquo ab *A. caespitosa* distincta; sed *A. Wibeliana* Sonder toto habitu cum nostra, haud stolonifera neque dense caespitosa, convenit; notis tamen datis videtur diversa. In *Linn. Fl. Lapp.* sub Aira caespitosa notata.

2 c. A. ALPINA (Linn. Suec. n. 73. Wahl. Lapp. p. 34) foliis involuto-subulatis, *panicula pyramidali condensata*, pedicellis laevibus, inferioribus laxis, superioribus erectis, arista subapicali brevi incurva, radice caespitosa. *Fl. Dan. t.* 1625. A. laevigata *Smith. in Engl. Bot. t.* 2202. Locis uliginosis in campis editioribus alpinis. Humilior praeced., culmo firmo. Folia ut in reliquis plana quidem sunt, sed rigida et mox involuta. Panicula admodum densa, saepius vivipara; cum *A. caespitosa* vivipara tamen neutiquam confundenda. Spiculae iis *A. caespitosae* magis turgidae stramineae, violaceo-variegatae, floribus sessilibus nec pedicellatis. Cultura omnino persistit.

4. A. ULIGINOSA. Quamvis haec charactere foliorum admodum notabili polleat et statione in limo, saepe ad spicam usque inundata, florendique tempore serotino multis speciebus insignior videatur, tamen in loco natali, sensim magis magisque sicco, formis intermediis in *A. montanam* ita directe abit, ut nullibi viderim transitus magis manifestos. Cfr. Fr. Nov. p. 11.

XXXIX. b. VAHLODEA (Fr. Bot. Not. 1842. n. 11.) Spiculae bi-multiflorae, floribus omnibus perfectis. Flores hermaphroditi. Gluma bivalvis herbacea, spiculam longe superans includensque, valvis navicularibus. Glumella bipaleacea, herbaceo-subcartilaginea, *paleis* enervibus *acuminatis*, inferiori arista dorsali tenui. Stigmata e latere floris progredientia. — In Airis, praeter alia, palea inferior 5-nervis, apice truncata denticulata.

1 V. ATROPURPUREA (Wahlnb. Lapp. p. 37. sub Aira) panicula laxa pauciflora, foliis planis. *Linn. Lapp. n. 72.* Holcus atropurpureus. *Wahlnb. in Sv. Bot. t. 687.* A. alpina. *Fl. Dan. t. 961.* In campis Lapponiae subsilvaticae copiose, dein per alpes totius facile regionis passim. ♃. Jul. Sept. Gramen arcticum, foliis latis mollibus, panicula delicata spiculis majusculis eleganter coloratis, sed cryptanthis valde elegans; genus distinctissimum sistens. E synonymo *L. Fl. Lapp.*, admodum claro, hoc gramen fons *A. montanae* L., sed in reliquis scriptis Linnaeus hanc quaesivit in formis *A. flexuosae*; at *A. bottnica*, ab ipso sub A. caespitosa Fl. Lapp. notata, certissime numquam ad A. montanam a Linnaeo relata.

XLI. HOLCUS LANATUS — *argenteus*, panicula albescente, arista glumam excedente. H. argenteus. *Röm. et Schult. S. Veg II. p. 656.* Locis umbrosis ad ripas v. c. Nissae.

XLIII. AVENA. Arrhenatherum, meo sensu, est potius status abnormis Avenae, quam peculiare genus, character enim ex aristis nullus est (nobis frequenter Avenae simillimus in utroque flore) et flos infimus masculus hermaphroditus visus. At *Trisetum* genere movere haud dubito neque Carophyllaeas ad Airopsides transferre. Rationes nostras et characteres horum generum reformatos proposuimus in Nov. Mant. III. p. 178—180. Triseti species nobis est:

22 b. A. AGROSTIDEA (Fr. Mant. III. p. 5) *panicula* diffusa aequali, *deflorata spiciformi-contracta gracili*, ramis spiculas 2-3 gerentibus, spiculis confertis subbifloris. *ovario glabro*, axe pilosa, pilis flore brevioribus, *palea* inferiori apice *cuspidato-bifida*, culmis caespitosis, folio infimo radicalibusque pubescentibus. A. subspicata var. *Laestad. in Nov. Act. Ups. XI. p. 245.* A. alpestris *Hartm. Sc.* Ad ripas fluviorum in Lapponia Tornensi v. c. ad Mannu. ♃. Jul. Triseto subspicato proxima, sed panicula florens patens, Agrostidis facie, floribus dissitis, fructifera admodum gracilis, palea longe cuspidata e. s. p. Denso foliorum fasciculo ab basin culmorum a *T. flavescente* mox dignoscitur.

1 L. POA. P. fulvam *Trin.* ad Glyceriam refero.

1 b. P. ARCTICA (Brown. Melv. n. 59!) ab hac, facile propria specie, characteres essentiales non offert: *P. depauperata* Blytt! pumila, culmis subnudis, panicula lanceolata subracemosa, rachi ramisque abbreviatis flexuosis, foliis subinvolutis (Cfr. Mant. III. p. 5). A *P. laxa* similiori differt radice manifeste stolonifera. In Norvegiae centralis alpibus v. c. Dovre, copiose.

L. GLYCERIA. Speciosum hoc genus in Europa maximum habere videtur specierum numerum in Flora Scandinavica, in qua praeter omnes species Germanicas accedunt 4-5-admodum notabiles, ut taceam Catabrosas, a nobis remotas. *Palea inter. impressa concava* a sq. clare differt; MOLINIA media ratio, flore terminali sq.

1 a. G. FULVA (Trin. Mem. Ac. Petrop. VI. I. p. 378. Poa) panicula diffusa aequali ramis subquaternis subangulato-filiformibus pendulis laevibus, spiculis 2-6-floris, floribus lanceolato-ellipticis obtusiusculis obsolete nervosis basi pilorum fasciculo barbatis, culmo vaginisque glabris, ligula elongata obtusa, radice repente. In paludosis aquosis juxta tres insulas Lapponiae rossicae. *Nyl. Spic.* 2. *p.* 2, ex quo Kamtschatica originalis differt a Var. *lapponica*, panicula subsecunda, foliis minus rigidis, pilis ad basin obsoletis. Gramen ceterum firmum, 1-2-pedale, foliis latis paniculam superantibus, spiculis caesio et fulvo variegatis.

1 b. G. PENDULINA (Laestad. in Wahl. Succ. 2. Add. p. 1088) panicula aequali verticillata, apice *ramisque capillaribus deflexis pendulis*, spiculis 5-7-floris, floribus obtusis integris septemnervibus, *nervis obsoletis*, foliis linearibus strictis, vaginis ancipitibus, radice repente. Poa. *Fl. Dan. t.* 2343. *Nyland. Spic.* 1. *p.* 8. Molina pendulina. *Hartm.* Ad ripas inundatas fluminis Tornensis usque ad Turtula. ♃. Julio. Gramen ut G. aquatica s. spectabilis M. K. robustum, sed humilius, foliis angustioribus. Paniculae verticilli terni, spiculis laxis sparsifloris viridi-flavescentibus.

1. c. G. REMOTA (Fr. Mant. II. p. 5) panicula verticillata rara secundo-nutante, rachi tereti, *ramis erectis* laxis *capillaribus*, spiculis lineari-oblongis 3-5 floris, *floribus obtusiusculis elevato-septemnervibus apice tridentatis*, foliis flaccidis *vaginisque teretibus* scabris, radice subrepente. *Nyl. Spic.*! *p.* 8. Poa. *Forsell. in Act. Soc. Linn. Ups.* 1. *t.* 1. *f.* 2. G. norvegica. *Sommerf.* Molinia remota. *Hartm.* In nemoribus humidis Finlandiae australis ad Söderfors primo detecta, nuperius ad Sordavala, Kirjovalaks etc. orientalis; dein multis Norvegiae australi-orientalis copiose lecta, tandemque in Angermannia Sueciae borealis in par. Bjertrå a Cl. Engman. ♃. Jul. Species a reliquis valde distincta, habitu *P. sudeticae*, tripedalis, sed gracilis et flaccida, panicula elongata, spiculis viridi fuscopurpureo et apice scārioso albo eleganter variegatis.

2 G. PLICATA. Haec in Rossia facile omni Europaea, ex Am. Nylander in litt., vulgata, ni fallor, est vera mater gra-

norum: *Mannagryn*, cum longe largiorem offerat messem seminum quam G. fluitans.

4 b. G. CONFERTA (Fr. Nov. Mant. 2. p. 10) panicula aequali densa, *rachi tereti exsulca*, *ramis abbreviatis* hispidis inferioribus subquinis, *fructiferis erecto-patulis*, spiculis linearibus 4-7-floris lineari-oblongis obsolete 5-nervibus apice subtrilobis, foliis planis, radice caespitosa. Molinia. *Hartm. Scand.* Sclerochloa Borreri. *Bab.! Man. Brit. p.* 370. *Engl. Bot. t.* 2997. Ad littora maris occidentalis; ad Fucos in fimeto putrescentes ad Ingelstorp Scaniae olim quoque legi. ♃. Jun. Jul. Utrum G. maritimae an G. distanti affinior sit, vix dicas. Panicula ovata, spiculis G. maritimae minoribus. Caudiculi steriles *G. maritimae* desunt.

5 G. FESTUCAEFORMIS. Nostra mediterranea vulgo tenuior, at vix diversa. Limites acutos *G. maritimae* haud reperi. Cfr. de hac protea specie Nov. Mant. II. p. 8.

L. b. CATABROSA (Palis. Bauv. — Mant. III. p. 172) Gluma bivalvis, 1-2-flora, valvae flore breviores membranaceae, inaequales. Flores ovati, dorso teretes. Glumella bipaleacea, palea *utraque convexa*, inferiori trinervi apice sub-erosa, superior binervis. Caryopsis exsulca. — Etiam hujus generis plures in septentrione accedunt species, e quibus Catabrosam cum Glyceriis jungere impossibile fit. Subbiflorae, gluma abbreviata, interdum deficiente, ab Agrostideis longe distant. *C. latifolia* ut analoga *Diplachne* a Molinia separari forsan possit, numquam vero *Phippsia algida*.

1 C. LATIFOLIA, panicula angustata stricta, ramis a basi floriferis, valvis carinatis acutis 1-2 floris, foliis lanceolatis acuminatis, radice stolonifera. *Nov. Mant. III. p.* 175. Colpodium latifolium. *Brown in Melv. n.* 56. *Nyland. spic.* 2. *p.* Agrostis paradoxa. *Brown in. Ross. Voy.* 2 *p.* 192. In graminosis Lapponiae maxime borealis et maritimae; in Lapp. Rossica frequenter; in Finmarkia Norvegiae ad Varangerfjorden. *Lund.* ♃. Aug. Sept. Gramen speciosum, arundinaceum, 2-3-pedale, panicula fuscopurpurascente, spiculis fere Poae depauperatae unifloris, sesquifloris, bifloris. Colpodium arundinac. *Hook.* Bor. Am. 2. p. 238. ex Nylander non differt.

2 C. AQUATICA, panicula diffusa, ramis patulis flaccidis, glumae valvis obtusis (1-2) subbifloris, foliis linearibus obtusis, radice repente. Aira aquatica *L.* Glyceria n. 7. *Koch. p.* 933. Apud nos numquam multiflora (specimine s. d. aliena sunt), sed

saepe uniflora — et in maritimis occid. occurrit varietas *subtilis*, constanter uniflora, aegre specie a sq. distinguenda.

5. C. ALGIDA, panicula oblonga contracta, ramis subsimplicibus e basi floriferis, glumae valvis minimis acutiusculis unifloris; foliis linearibus obtusiusculis, radice fibroso-caespitosa. Agrostis algida. *Soland. Wahl. Lapp. p.* 25. *t.* 1. *Fl. Dan. t.* 1505. Phippsia algida. *Brown. Melv.* p. 27. Colpodium. *Trinius.* In summis alpibus Dovrensibus (Knudshöj), Saltdaliae, Finmarkiae et Lapponiae Umensis, Lulensis. Pusilla, unciam parum excedens, praecedente ceterum adeo affinis, ut saepe in mente fuerit eandem pro ejus prole alpina depauperata sumere.

LIV. FESTUCA. *F. duriuscula* et *glauca* sunt tituli apud auctores valde vagi. Glaucae variant omnes Festucae nostrae genuinae; vera, meo sensu, *F. ovinae* adeo affinis, ut huic facile subjungatur, licet differat *caespitulis minutis segregatis, basi squamis latis scariosis involutis*, hinc a F. ovina ipsa glauca caute distinguenda. Ab utraque vero prorsus diversam statuo sequentem:

10. b. F. DURIUSCULA (Linn. et Auctt. pr. p.) panicula arrecta sub anthesi patentissima, spiculis subquinquefloris, floribus lanceolatis aristatis, foliis radicalibus complicato-filiformibus, *vagina infima pubescente, culmeis planis* mox involutis, ligula biaurita, radice fibrosa caespitoso-stipata. *Fr. Nov. p.* 12. *Mant. III. p.* 6. F. stricta. *Host. Austr. I. p.* 159. F. glauca. *Wahlnb. Fl. Ups.* Locis apricis aridis hinc inde. ♃. Jun. Panicula subrubens, sub anthesi *pyramidalis ramulis* fere divaricatis, quae in *F. ovina* (majori et minori) angustata erectopatula; ceterum folia hujus, etiam caulina, primitus setacea cum vaginis glaberrima.

Ab omnibus antecedentibus valde diversa est et *F. rubrae* potissimum subjungenda:

F. DUMETORUM (Linn. Spec. I p. 108) panicula angustata subnutante, sub anthesi patente, spiculis subquinquefloris, floribus lanceolatis aristatis, *foliis filiformibus, culmeis plano-canaliculatis* involutisve, ligula biaurita, *radice stolonibus lateralibus emersis erectis caespitosa. Nov. Mant. III. p.* 7. F. glauca. *Fl. Dan. t.* 1628! In scopulis maritimis ad mare praecipue occidentale tantum, sed ibidem frequens sub plurimis formis. ♃. Jun. Modo in forma nemorali elatiori, instar F. rubrae, panicula cernua est, minorum vero erecta, qualis in praecedentibus semper. Vegetatione stolonosa ad *F. rubram* quoque accedit, licet stolones non subterranei repentes sint, sed emersi, vulgo elongati, *foliis summis solidis nec involutis.*

Filiam *F. rubrae* facile fingam *probosque lectores* rogo velint observare, me *F. glaucam* et *dumetorum* singulatim tractasse, non quasi distinctas species urgerem, sed ut nomina vaga figantur, ut fatalis utriusque confusio cum F. duriuscula tollatur.

23. F. BOREALIS s. FLUMINIA ARUNDINACEA. A Festucis genuinis differt speciosum hoc gramen: 1) panicula verticillata, cum panicula racemosa *Festucarum* facile characterem paene essentialem praebeat; 2) rachi tereti, quae Festucis angulata, ad ramos incisodentata; 3) glumis spiculam aequantibus, quibus a Festucaceis ad Avenaceas vel Arundinaceas abit; 4) pilorum fasciculis ad basin floris, quibus ad Triodiam accedit; 5) paleis non, ut in omnibus Festucis, acutis et subaristatis, sed tricuspidatis; quia 6) nervi paralleli excurrentes, ut in Glyceriis, nec ut in Festucis convergentes apiceque in carinam aristamve confluentes; 7) ovario apice piloso Neque herba Festucarum, sed radix, culmus, folia etc. Glyceriae v. c. aquaticae (Poae L.) simillima; immo eadem adest macula ferruginea ad basin foliorum ac in Glyc. aquatica, pendulina etc., hinc ex licentia aevi, ex subjectivo commento plantas hybridas proclamare, hybrida a G. aquatica et F. arundinacea dicta fuit. Est vero totius subarcticae Zonae insigne ornamentum meoque sensu Glyceriis proximum, tamen omni jure proprium genus, FLUMINIA a nobis dictum. *Sv. Bot. t.* 270. icon bona!

LV. BRACHYPODIUM Ob spiculas superiores sessiles hoc genus ad Hordeaceas retuli, quo hoc naturale genus servare licet, misso charactere e paleae margine ciliato, a veris Festucis haud alieno, et in sq. genere nullius momenti. Cfr. M. III.

1. a. B. LOLIACEUM (Mant. III. p. 13) spica disticha subnutante, spiculis numerosis compressis *muticis*, infimis subpedicellatis, palea superiori tenue ciliata, foliis flaccidis, radice fibrosa. Fest. loliacea. *Koch. p.* 943 Circa Hafniam copiose. Qui hoc gramen norunt (cum diversissimis enim saepe confunditur; *Fl. Dan. t.* 1925 est F. pratensis racemosa) bonam exhibere speciem Kochio facile concedant; hybriditatis species certe fallax est.

LVI. a. SCHEDONORUS (P. B. ex ref. Gaud. Cfr. R. S) Gluma bivalvis, multiflora; valva inferior uninervis. Flores bipaleacei; paleae compressae, lanceolatae, sursum attenuatae, nervis tribus mediis in aristam subapicalem confluentibus. Ovarium apice pilosum, in latere anteriori supra medium stylos emittens. *Spiculae lineares, in perennibus sub anthesi, in annuis semper sursum dilatatae.* Cfr. *Bot. Not.* 1843. *p.* 129. Bromos festucaceos *Bertol. Koch.*, inter haec genera continue

oscillantes, tamquam genus intermedium, pacificans separare utile mihi visum fuit, cum et habitu et characteribus facillime dignoscatur. Sed his remotis, sectionem quartam *Kochii* cum Schedonoris jungere necesse fit; differunt modo spiculis etiam defloratis sursum dilatatis. Ad Schedonoros, meo sensu, sese habent ut Vulpiae ad Festucas. — Bromi differentiae (= Glyceriae a Pois) infra exponentur; Festucae a Schedonoris manifeste differunt panicula semper racemosa, rachi excisa, *nervis paleae exterioris* omnibus in aristam terminalem confluentibus et stylis terminalibus.

LXI. b. BROMUS. Gluma bivalvis, multiflora; valva inferiori multinervi. Flores bipaleacei; palea exteriori obtusa, ventricosa, dorso tereti, sub apice bifido aristata. Ovarium apice pilosum; in latere anteriori supra medium stylos emittens. Hoc genus pari modo reformatum a Cel. Parlatore sub Serrafalci nomine nuper invenimus, Bromos vero secalinos sui generis sistere centrum et ab antiquissimis temporibus pro Bromi typo haberi, manifestum censeo.

2. B. COMMUTATUS. Praetuli B. pratensis *Ehrh.* nomen aptius et antiquius, cum sec. ipsius Gram. Exs.! huc omnino pertineat. Cfr. *Mey. Chl. Hannov.* Apud nos non hic modo pratensis est, sed etiam saepe Br. secalinus — et *B. arvensis* frequentior in collibus glareosis, ad vias Sueciae mediae quam in arvis.

5. b. B. HORDEACEUS (Linn. Spec. ed. I. p. 77) panicula ovali congesta erecta *spiciformi*, *etiam sub anthesi contracta*, spicis elliptico-oblongis nitidis, floribus oblongo-ellipticis imbricatis valvulis inferioribus supra medium in angulum extensis superiorem superantibus, *culmis caespitosis circinato-decumbentibus*, vaginis foliisque villosis. *Wahl. Ups. p.* 40. *Nov. Mant. III. p.* 11. B. mollis v. hordeaceus. *Nov. Fl. Suec. p.* 16 In collibus apricis, ad vias, a Scania ad Upsaliam passim, etiam e Fl. Hafniensi misit Lange. ☽. Majo Jun., dein perit. Primo obtutu *Br. molli* simillimus, quare hujus varietatem olim habui; numquam vero confluere est visus et a *B. molli glabrato* probe distinguendus.

9. B. PATULUS. Est vere indigena planta, e silvis deustis Fenniae misit W. Nylander.

LVIII. TRITICUM. T. rigidum, glaucum et pungens e Fl. Scand. exclusi, cum vel adventitia (tale legi T. rigidum) vel ex errore recepta. Haec tria stirpem peculiarem, a Tr. repentis valvis abbreviatis tute distinctam, meo sensu sistunt. — E stirpe *Tr. juncei* vero tres nobis adsunt bonae species, clare

diversae, singulae harum locis humidis salsis hieme inundatis enititur varietatem *megastachyam* (statura quoddammodo *Elymi arenarii*, sed de hybriditate non sit sermo) et ut talem T. acuti considero *T. strictum*.

10. T. ACUTUM (Dec. Fl. Suppl. 282) spica disticha arrecta, *rachi* siccitate *fragili*, spiculis 5-8-floris, valvis lanceolatis 5-7-nervibus obtusiusculis spiculam dimidiam superantibus, floribus obtusiusculis mucroneve brevi aristatis, *culmo stricto*, *foliis carinato-triquetris* angustis involutis *patente-strictis*, *superne velutinis* scabrisque. *Fl. Dan. t.* 1986.? *Nov. Mant. III. p.* 12. *Reich. Gram. f.* 1393. T. junceum v. rigidum. *Wahlnb. Suec. p. 78* (et *Fr. Nov. Fl. Suec.* p. 17, p.p., var. sq.) Ad littora maris Daniae et Scaniae australis raro. ♃. Jul. Aug. *Tr. junceo* proximum, *semper strictum*, glaucum. Variat ut affinia spicis confertis et distantibus, rachi floribusque plus minus villosis, floribus muticis et aristatis. Decandolleus l. c. optime descripsit notatque characteres T. stricti (valvas 5-nerves, flores pilosos) esse varios.

— *megastachyum*, duplo altius, robustius, spiculis majoribus, valvis acutioribus. *Mert. et Koch. Deutschl. Fl. p.* 703. δ. Tr. strictum. *Koch. Syn.* Cum similibus locis, hieme nempe aqua salina inundatis, prorsus analogae oriantur varietates, etiam hoc eadem ratione ortum certi sumus. Absit omnis suspicio hybriditatis Elymi arenarii! — Ab utraque nostra Tritici acuti varietate conspicue recedit *Reich. Fl. G. exs. n.* 509.

11. T. LAXUM (Nov. Mant. III. p. 15) spica disticha *rachi glabra tenaci*, spiculis 5-8-floris lineari-lanceolatis acutis, valvis 7-nervibus spicula tertia parte brevioribus, floribus acutis muticis, *culmo* foliisque planis, superne *punctis densis scabris*, *flaccidis*, radice repente stoloniferaque. Tr. pungens *Auctt. boreal. vulgo. Reich. Herb. Fl. G. exs. n.* 402. Trit. repens v. pungens. *Fr. Nov. p.* 19. *Wahl. Suec. p.* 77. Ad littora maris Daniae et Gothiae frequens, T. junceo et acuto longe vulgatius et copiosius. ♃. Jun. Aug. Speciem a *T. acuto*, cui saepe mixtum, vere diversam statuo, habitu prorsus *T. repentis*, ut foliis punctis densis superne scabris (nec ut prioris velutinis) tantum tute distinguatur. Planta normalis in arena sicca nascens tota vulgo decumbens, foliis radicalibus planis quoque, at *siccitate involutis*, et vulgo laete viridis, ut omnes hujus speciei formae. Verum *T. pungens* in Scand. vix lectum.

— *macrostachyum* (Fr. l. c.) erectum, duplo altius, simplex. foliis omnibus planis persistentibus, spica elongata, spicu-

lis distantibus. T. affine. *Reich. H. Fl. Germ. n.* 403. *Ic. Gram. f.* 1391. Inter frutices, Cnicos etc., aegre sine lente a Tr. repente distinguendum, spica cernua.

— *megastachium*, caespitoso-stoloniferum, geniculato-decumbens, ramosum, foliis latioribus, spiculis maximis, glumis valvulisque latioribus. Locis hyeme inundatis, rarius. Hoc tota facie spicae *ad T. junceum* revergit, sed in societate *Tr. acuti megastachyi* semel lectum.

15. T. REPENS. Formas varietatis primariae exposuit egregie Reich. f. 1383; verae varietates sunt plures v. c. Tr. firmum et T. caesium *Pressl.*, in occidentalibus praecipue insigne. Sub formis littoralibus plures latere facile fingerem. T. littoreum *Fl. Dan. t.* 1863, quod *Trit. littorale* Mey. Chlor. Hannov. p. 610, a Reich. ic. f. 1390 omnino diversum. Ejusdem varietates muticae videntur T. r. ζ, ϑ *Mert. et Koch.* Multo magis habitu cum Tr. repente convenit sequens, pro nova specie ab amic. Poulsen missum, quod *ob characteres valde recedentes* seorsim proponere juvabit, licet in praesente potius mihi videatur Tr. repentis forma macrostachya:

Tr. REPENS? ARUNDINACEUM, spica disticha rigida, spiculis confertis, *valvis lanceolatis* 9-*nervibus* aristatis, floribus lanceolatis nervosis aristatis spiculam dimidiam superantibus, rachi glabra margine serrulato, *foliis lanceolato-linearibus glaberrimis*, radice repente. In arena sterili littorali ad Fredriksort Cimbriae. ♃. Gramen arundinaceum, rigidum, at non glaucum, foliis latis fere Phragmitis. Spiculae circiter 30, valde confertae. — Folia sicca nunc scabriuscula sunt, hinc puncta adesse debent, licet lente detegere non licuerit. — Explicandum restat, qua ratione duo ita extrema ut hoc et Tr. littoreum eodem solo gigni possint!

16. T. BIFLORUM. Cum *T. violaceo* Horn., in alpibus nostris et arcticis vulgato, omnino convenit, apud nos biflorum numquam visum, sed spiculis 3-5-floris, foliisque T. repentis potius latioribus, quam angustioribus.

— At *T. canini* e monte Omberg habemus varietatem spiculis constanter bifloris, foliis duplo angustioribus, quae ad suum typum, ut Tr. biflorum ad T. violaceum accedit.

LX. ELYMUS. E. geniculatus *Curt.*, qui ad littora maris ad Halmstad, ut ubique, valde sporadice observatus, mihi dubia est species (Cfr. Nov. Mant. III.) et, ut meam praefiscini dicam sententiam, E. arenarii forma macrostachya, spica magis elongata et rara, ex eisdem rationibus orta ac prorsus analogae formae macrostachyae Triticorum. Nostrum esse genuinam

plantam nullum dubium superest, sed character essentialis spica geniculato-inflexa prorsus deest, nisi Ustilagine corrupta sit.

LXVI. LEPTURUS. Rottböllia incurvata *Bot. Scand.* ex maxima parte ad *L. filiformem* pertinet, intercurrere tamen videtur *L. incurvatus*, saltim tam quaedam e Dania, quam Ringii e Scania ab hoc distinguere non valeo. Singulare tamen alia paene *eodem loco*, a d. Duben lecta, verum sistere L. filiformem, hinc de utriusque absoluta differentia dubia forsan restant et Britanni utrumque jungunt. *Nov Mant. III. p.* 181.

EQUISETACEAE. Koch. p. 963. Supra p. 59.

1. EQUISETUM. Synopseos Kochianae partem III, plagulis hoc genus supra sistentibus prelo jam exscriptis, primum accepi, et ante redactionem Filicum genuinarum. Vernalia *Kochii* a nobis biformia dicta sunt — et ob caules fertiles constanter heterogeneos et ob ramificantes autumno subinde spicigeros, quales et E. arvensis et Telmatejae possidemus. Accedit sequens species *scapis fertilibus heterogeneis* (evascularibus, fungosis), autumnalibus. E methodo vero Kochiana juxta E. pratense inseratur:

4. b. E. riparium (Nov. Mant. III. p. 167) caulibus fructiferis *decoloribus simplicibus*, vaginis quadrifidis cinctis, superne marcescentibus, inferne demum vage ramosis, sterilibus distortis, ramis simplicibus triquetris caule longioribus. Ad ripas Smolandiae occidentalis, Westrogothiae; copiose ad littora lacus Venern. *S. J. Lindgren.* ♃. Aug. Nascitur similibus locis ac *E. arvense alpestre*, at hoc vernale est et sine dubio distinctum, hinc facile fingeres *E. pratense* esse pari ratione mutatum. At tam ab hoc, quam *E. palustri*, omnium maxime proteo et saepe caules fructiferos simplicissimos edente, dignoscitur fructiferis decoloribus, ex magna parte caducis.

6. E. limosum L. et fluviatile L. utique nimis affinia sunt' sed apud nos (circa Upsaliam vulgaria) facile discernuntur et a nullo Botanicorum Suecorum. ad prisca contrahenda, quam nova distinguenda promptiorum, conjuncta. Ut pateat an nostra cum exterorum prorsus conveniant utrumque dedimus in H. N. XI.

FILICES. Koch. p. 972. Supra p. 82.

1. BOTRYCHIUM. Folia h. g. mire mutantur.

1. B. lunaria Tres formae, numquam segregandae:
— *cordatum*, fronde cordata subintegra, fertili simpliciter divisa. Ad Silfåkra Scaniae detexit Nobil. *Gyllenstjerna.*

— *vulgare*, fronde pinnatisecta. B. Lunaria *Koch.*

— *rutaceum*, fronde pinnis dissectis. B. rutaceum. *Vulgo.* 8. L. rutae folio. *Bauh. Breyn. t.* 93. *Linn. Suec.* β. Hae formae promiscue nascuntur et tempore florendi (Majo-Jun.) prorsus conveniunt, ut mihi impossibile sit distinguere. Omnes conveniunt fronde in medio scapi, circumscriptione oblonga. Inter hoc et 2 b, inter se primo obtutu diversissima, occurrit planta intermedia:

2. B. MATRICARIAEFOLIUM *Breyn. t.* 94. var. γ. *Linn. Suec. p.* 370. affinitate naturali *B. Lunariae rutaceo*, sed characteribus v. c. fronde majorum triangulari, lobis incisis, *B. virginico* proximum, ab utroque diversum *fronde subsessili, fertili omnino subjecto.* Hoc, quod passim apud nos sporadice occurit, in septentrione e. c. Ångermannia copiosius obviam venit et ex accurat. *Ångström* speciem definitam sistit, fronde in minoribus simpliciter, in majoribus 2-l. 3-pinnatifida. Aut hoc distinguendum aut *B. virginicum* cum *B. Lunaria* jungendum, quum series contigua.

2. b. B. VIRGINICUM (Swartz Syn. Fil. p. 181) fronde sterili *solitaria*, supra medium stipitis inserta, *a fertili remota, late triangulari* bipinnato-partita; pinnis pinnatifidis linearibus obtusis dentatis. *Laestad. in Vet. Ac. Handl.* 1824. *p.* 175, 185. *Wahlnb. Suec. n.* 1193. *Sv. Bot. t.* 665. In Succia boreali Ångermannia in Tåssjöberget copiose; Dalekarliae in Osmundsberget parcius ♃. Jul. Elegantissimum Filicum nostratium, reliquis Botrychiis procerius, delicatius; frondis forma et divisione, licet diminuta, Cystop. montanam aemulans. — Reliqua loca huic adscripta prius ex Cl. Ångström spectant, quod nisi removeatur, praesens a *B. Lunaria* dissimillimo limitari nequit.

3. B. BREYNII t. 95. s. MATRICARIOIDES Willd. v. δ *L. Su.* Tempus hujus erronee indicatur, nam etiam in Suecia australi *numquam* ante Augusti finem, vulgo Sept. fructificat; ceterum in Lapponiam Tornensem usque nobis haud rarum et ab omnibus praeced. diversissimum. Cfr. *Breyn!*

VII. ASPIDIUM. Lastraea Kochio dist. genus.

2 b. A. ANGULARE (Wald. et Kitaib.) frondibus bipinnatis dilatatis basi attenuatis stipiteque squamosissimo hirtis, pinnulis lunatis, basi truncatis, lobo antico angulatis serraturisque obtusis mucronatis. *Nov. Mant. I. p.* 20. *Wimm.! Sil.* 2. *p.* 60. A. Braunii *Spenn. Fl. Frib. t.* 1. Locis rupestribus silvaticis; Scaniae in Skärali; Norvegiae frequens. ♃. Aug. Cum nullum vestigium *A. aculeati* L. Ehrh! Exs. Wimm.! l. c. exstet in Succia et Norvegia, licet *A. angulare* admodum copiosum diversoque solo obvium, cum hoc conjungere non ausus sum. In Silesia utrumque promiscuum, *at sine transitu*, quoque legit

accurat. Wimmer. *A. angulare* molle, laete viride, facie A. Filicis maris; *A. aculeatum* rigidum, viridi-glaucum, glabrum, facie *A. Lonchitis.*

XII. ASPLENIUM. Athyra citra naturam huc relata:

1. b. A. CRENATUM (Sommerf. in Vet. Ac. Handl. 1834. p. 104. Aspidium) frondibus triangularibus tripinnatis, pinnulis oblongis obtusis subduplicato-serratis, subtus pilosis versus apicem basi decurrente confluentibus, soris oblongis sublunatis, stipite paleaceo. Cystopteris. *Fr. Mant. III. p.* 195. Athyrium *Ruprecht* in *Nyl. Spic.* 2. In Guldbrandsdalia Norvegiae in par. Sell v. e. in Kringelen copiose; etiam in Lapp. Rossica ad Kandalax (jam ante seculum a Gmelino in Sibira lectum. Cfr. Nyl. l. c.) Nobilissimum, Germanicis haud affine. Affinitate naturali *Cystopter, montanae* proximum, cujus varietatem censebat primus inventor, Wahlberg; charactere essentiali Athyrium et plane artificiali demum Asplenium. Quamdiu stirpes tam diffines conjunguntur, et tam affines ut Polyp. rhaeticum et Aspl. filix femina, removentur, genera ut fixa perennatura haud facile fingam.

Subtr. IV. HYMENOPHYLLEAE. Sporangia receptaculo e vena ultra frondis marginem producta imposita, sessilia, annulo completo; indusio frondis textura.

XX. HYMENOPHYLIUM (Smith. Brit. p. 1141) Receptaculum filiforme. Indusium bivalve.

1. H. WILSONI (Hook. Brit. p. 390) fronde rigida pinnata pinnis recurvis subunilateralibus cuneatis 4-6-lobis, segmentis linearibus spinuloso-serratis, involucris axillaribus solitariis ovato-inflatis integris, rachi extrorsum leviter marginata. *Engl. Bot. t.* 1286. *Nov. Mant. III. p.* 167. H. Thunbridgense. Fl. Dan. t. 934. Locis muscosis irriguis Norvegiae occidentalis; districtus Bergensis passim; Christiansandensis ad Andrewsâen.

OMISSA:

MUSCORUM Suec. Exsicc. Fasiculos III, IV. nondum editos ad schedulas manuscriptas citavit Cl. Ångström; in exemplaribus vero jam divulgatis species quaedam additae et determinationes correctae, quae h. l. addendae:

p. 87. Bryum pallens, MS. 68.

p. 88. Bryum arcticum. MS. 60, in 2 (Westrog.) et 6 (Uleåborg) quoque lectum. (Deleatur igitur *M. S.* ad praeced. B. purpurascens, in Lapp. Ross. quoque lectum (3, nec 5).

p. 90. Polytrichum nanum. MS. 85.
Atrichum tenellum MS. 87.

p. 91. Orthotrichum curvifolium. MS. 171 (deleatur sub priori, Hutchinsiae).

p. 93. Grimmia elatior. MS. 92 (deleatur sub subsq. G. trichophylla).

p. 94. G. truncata intermedia. MS. 99.

p. 83. *Botrychium matricariaefolium *Braun*.

p. 204. Post Rumicem inseratur:

11. b. KOENIGIA (Linn. Gen. n. 1241). Perigonium tripartitum, laciniis aequalibus. Stamina 3, laciniis perigonii alterna. Stigmata 2, 3, capitata. Utriculus lenticularis, perigonio tectus. Embryo in albumine lateralis, arcuatus.

1. K. ISLANDICA (Linn. Mant. p. 35). *Fl. Dan.* t. 418. *Sv. Bot. t.* 513. Per alpes Norvegiae interioris, Nordlandiae et Finmarkiae passim, sed in Suecia boreali (Rälahögen Jemtl. *Theden.*) rara. ⊙. Jul. Aug. Planta gregaria, tenella, simplex l. dichotoma, subsucculenta, rubens, ochreis laxis integerrimis; floribus terminalibus sessili-conglomeratis pallidis, foliis quasi involucratis.

Sub impressione plura insuper innotuerunt nova loca; cum vero haec universalem specierum distributionem non mutant hoc loco frustaneum fingerem addere, excepto *Sedi rupestris* p. 40, in insula Alsen Daniae detecto. Maxime vero momenti censeo corrigere signa quaedam a typotheta perperam collocata, sic post *Stach. alpinam* p. 14 sub N. deleatur +, sub S. collocetur; post *Solan. humile* p. 17 sub S. inferatur., deleat. sub F. —; post *Fumar. mediam* p. 28. — referatur ad N.; post Nasturt. anceps p. 30 ad S. referatur —; post *St. crassifoliam* p. 37 deleatur — S.; post. *Salic. limos. leuc.* — a G. ad N. referatur. Pag. 94! l. 24. legetur Anacalypta, ut leviora menda typographica taceam.

INDEX GENERUM VASCULARIUM.

Obs. Index Cellularium, e quibus Musci et Algae in hac sectione receptae, in altera sectione dabitur. Litteris ut ajunt cursivis notantur genera in Kochii Fl. Germ. desiderata, aliter limitata vel species Scandinaviae hactenus privas offerentia.
